GEORGII HORNII
DISSERTATIO
DE VERA
AETATE MUNDI:
QUA

Sententia illorum refellitur qui statuunt Natale Mundi tempus Annis minimum 1440. vulgarem æram anticipare.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM ELSEVIRIUM & PETRUM LEFFEN,
CIƆ IƆC LIX.

Nobilissimis, Amplissimis & Prudentissimis Viris,

D. AMELIO à BOUCHORST, Wimmenumi Domino, Ex ordine Equestri in Delegatorum Hollandiæ Ordinum Collegio Præsidi, Rhenolandiæ Aggerum Comiti.

D. GERARDO SCHAEP, J. C. Cortenhouvii Domino, Consuli Amstelodam. & ad Reges Daniæ Sueciæque Exlegato.

D. CORNELIO DE BEVEREN, Equiti, Strevelshoeckii, West Isselmondæ, Lindæ &c. Domino, in Concilio Præpot. Hollandiæ Ordinum Ordinario Assessori, ad Reges Britanniæ & Daniæ Exlegato.

Academiæ Lugd. Bat. Curatoribus; Eorumque Collegis,

D. JOHANNI vander MAERSCHE.
D. MAURITIO vander AA.
D. WILHELMO HASIO.
D. HENRICO à WILLINGEN, J. C. Florentiss. Reip. Lugdunensis Consulibus.

NEC NON

Amplissimo, Consultissimoque Viro,

D. JOHANNI à WEVELINCHOVEN, J. C. Reip. Leidensis Syndico, & Academiæ Curatoribus à Secretis.

Dominis suis colendis,

D.C.Q.

GEORGIUS HORNIUS.

* *

Cum nuper delirus quidam Præadamita, portentoso commento, authoritatem Sacrarum Scripturarum, ex absurdis gentilium antiquitatibus convellere conaretur: quanquam nulla sane confutatione assertio illa impia & ad Atheismum rectà ducens, indigeret apud illos qui fide credunt conditum esse mundum: multi tamen viri excellentes, magno ingenio vesaniam illam ita argumentis firmissimis contuderunt, ut nata simul atque extincta fuerit nullis fulta rationibus malesana opinio; & si qui sectatores ejus restant, illi vel contemtu, vel pœnis Magistratuum coërceantur.

Ita cum jam debellatum esset,& ipse Præadamita sententiam suam abjurasset, novum quoddam argumentorum genus repente emersit, quo nimirum longe fortius opinio illa expugnari, simulque sacrarum authoritas literarum vindicari ab improborum cavillationibus possit: si nimirum *Mosaicam Historiam non in tam arcta spatia constringamus, quam faciant hujus seculi Iudæi & qui eos sequantur Christiani:* Sed rejectis Codicibus Hebræis, versionem Græcam, qualis hodie extat, sequamur, adeoque natale mundi tempus annis minimum 1440. vulgarem æram antici-

pare

pare ſtatuamus. Ita etiam exiſtimant ſatis ſpatii fore gentilium antiquitatibus cum fide Sacrarum Scripturarum conciliandis.

Quanquam verò intentio procul dubio ſit bona ac id præcipuè ſpectetur, ut Moſis Chronologia cum gentilium annis eo facilius conciliari poſſit: tamen ſi rem ſuo pondere æſtimemus, non modo falſam, verum etiam periculoſam deprehendemus hanc aſſertionem, & ex qua multa in Eccleſiam incommoda ac confuſiones deriventur. Nam, ut pauca tantum referam; ſi Codex Hebraïcus non eſt præferendus Codicibus Græcis: conſequitur in nullis hactenus Eccleſiis occidentalibus veram Sacrarum Scripturarum verſionem receptam fuiſſe: quippe quæ omnes ſuas verſiones, vel ad Hebræos Codices tanquam authenticos, vel ad Latinam, adornarunt. Superflua etiam ac inutilis foret omnium illorum Regum, Principum, Magiſtratuumque cura, qui verſiones ex ſolo textu Hebræo maximo ſumtu & ingenti labore procurarunt, eaſque in omnibus ſcholis ac Eccleſiis, tanquam textui authentico congruas, recipi & obſervari ſanciverunt.

Ac profecto mirum videri queat, cum etiam profanis ſcriptoribus, quanquam neque eorum autographa extent, ea authoritas tribuatur, ut ver-

versionibus suis longe præferantur: sola Biblia Hebræa adeo contaminata censeri, ut non nisi ex versione Græca, eaq; & recentioris ævi & obscuri ac ignoti interpretis, corrigi ejus errores ac sensus intelligi possint. Melior scilicet conditio Homeri aut Virgilii erit, quorum Codices per tot secula ad nos pervenisse incorruptos statuunt, quam sacrarum scripturarum; quæ amissa textus Originalis & Hebræi αὐθεντία, omnem integritatem suam non nisi versioni Græcæ debeant. Quasi neque Deo, cujus inspiratione acti scripserunt Prophetæ & Apostoli, curæ fuerit conservatio earum, & Iudæi hoc præcipuè egerint, ut quam contaminatissimos haberent Codices: cum singulæ nationes id imprimis operam dent, ut libros ad sacra & Rempublicá spectantes, singulari diligentia incorruptos servent: & si hoc Iudæorum propositum fuit, Codices suos corrumpere, profecto non in numeris annorum, sed illis maxime locis quæ ad fidem Christianam confirmandam spectant, impietatem suam exeruissent.

Sed gravis omnino injuria Iudæis hac accusatione infertur, & longè atrocior Christianis, quasi illi in tam nefando crimine cum Iudæis data opera conspirassent, & corruptam editionem Hebræam, optimæ & integerrimæ Græcæ versioni supina negli-

negligentia & turpi ſtupiditate, antepoſuiſſent. Nam ſi *Codices Hebræi ſunt corrupti, & Samaritanus Codex longe nobis ſanctior eſſe debet atque Hebraicus*: Si *quæ de perpetua & conſtanti librorum Sacrorum conſervatione dicuntur, meræ ſunt impoſturæ & Iudæorum fabellæ*: Si *verſio* LXX. *Interpretum omnium eſt optima antiquiſſimaque, & ſeniores illi integriores, minuſque à ſe invicem diſcrepantes ſecuti ſunt Codices*: Si *nævi & lacunæ Hebraici textus plurimæ, præcipuè ex* LXX. *Seniorum tranſlatione emendari debent*: Si *Græca tranſlatio innumeris in locis Hebraicorum voluminum authoritati eſt anteponenda*: Si *juxta receptam Hebraici Codicis Scripturam, non gentium tantum Hiſtoriis, ſed & ipſis Sacris literis mera infertur nox*: Si LXX. *Senum verſio longè ad nos incorruptior pervenit quam Codex Hebræus*: *Si vetus Scriptura Hebraica alia fuit antequam interpolaretur à Iudæorum Magiſtris*: Si *illi qui ſequuntur Iudæorum codicem, veritati fucum faciunt, ac latiſsimam improbis aperiunt portam ad impugnandam ſacrarum literarum fidem*: *Si*, inquam, hæc ita ſe habent, quid ultra moramur? Cur nos Eccleſiaſque noſtras adeo decipimus, verſionibus ad Hebræos Codices tam corruptos & periculoſos, adornatis? Cur non abolito Codice Hebræo, tanquam corruptiſſimo ac imperfectiſſimo, ſoli textui Græco inhæremus, & ex eo verſiones Eccleſiaſti-

cas

cas elaboramus? Hæc enim omnia ex nova hac doctrina ultro consequi, nemo diffitebitur.

Quod si vero hæc omnia longe aliter se habent & textus Hebraicus ad nos incorruptus pervenerit (quod etiam de Græco N. Test. intelligendum) si versio Græca quæ sub LXX. interpretum nomine circumfertur, non sit antiqua illa & Ptolemaica, sed recentioris cujusdam ac ignoti autoris, omniumque corruptissima & pessima: judicent æqui bonique omnes, quam dura sit hæc accusatio, & quam nullis fultæ rationibus illæ Codicis Hebræi ac qui eorum authoritatem sequuntur, criminationes.

Quanquam vero non dubitem viros pietate & doctrina præstantes defensionem Hebræi Codicis in tam gravi causa, ex professo ac luculenter suscepturos: puca tamen & ipse, quantum per temporis augustias aliasque occupationes licuit, ad hanc controversiam præfari volui: nullo sane contradicendi studio, aut quasi contentionibus ejusmodi delectarer: sed impulit me ante omnia amor veritatis, ac erga sacras literas, quas à puero didici, reverentia; tum quia ipsum hoc argumentũ præcipue in rebus ad Chronologiam & Historiam spectantibus occupatur, quas jussu vestro in hac Academia publicè profiteor.

Vobis vero V.Nob. & Ampliss. hoc qualecunque opusculum inscribere volui, hanc præcipuè ob causam; quod cum singulari affectu authoritatem sacrarum scripturarum colatis, quam optimè etiam & integerrimè de tota hac controversia judicare possitis. Lugd. Bat. Kal. Apr. cIↃ IↃc. LLX.

AD

AD LECTOREM.

Ut compendiario, Lector benevole, pondus rationum, quæ in hac de annis mundi controversia ab utraque parte in medium adducuntur, perspicias, paucis hæc præmittenda esse duxi. Qui numeros in Codicibus Hebræis corruptos asserunt, versionibus LXX Interpretum & Samaritana; deinde authoritate Fl. Iosephi, ac denique Chaldæorum; Ægyptiorum, Sinensium, Epochis atque Annalibus, se tuentur.

Qui numeros in Codicibus Hebræis incorruptos asserunt, versionibus Syriaca Thaddæi Apostoli, Chaldaica Onkelosi, Latina Hieronymi, Codicibus Evangelistarum antiquissimis, Beroso Babylonio, Philone Judæo & Annalibus ac Epochis earundem gentium, sententiam suam confirmant. Id nunc quæritur, cujus partis authoritates sint præferendæ? Versio Græca quæ hodie extat, & quam splendido LXX. interpretum titulo venditant, non est primæva illa jussu Ptolemæi confecta, sed incerti & recentioris authoris, ut prolixè probant editores Bibliorum Parisiensium. Ejus igitur authoritas nulla est, quia & recentior est & incerti autoris, ac infinitis locis discrepat à primæva editione LXX Interpretum. Samaritana versio, neque cum Hebræo textu in numeris, neque cum Græ-

eo consentit, sed peculiarem quasi annorum sectam constituit. Itaque pariter Codicibus Hebæorum ac Græcorum repugnat. Iosephus versionem Græcam fuit secutus, & in annis secum ac cum Hebræis, Græcis & Samaritanis, discordat. Annales Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinensium, in quibus dissentiunt à Mose Hebræo, manifeste falsi sunt; in certiori autem Epocha exactissimè cum eo conveniunt. Atque ita se habent authoritates quæ contra Mosis Codices Hebræos eorumque integritatem afferuntur. Restat ut videamus quantum illis tribuendum quæ pro Mose Hebræo allegari possunt. Primum merito suo locum sibi vendicat omnium & antiquissima & correctissima versio Syriaca: cujus in Ecclesia Christi authoritas veneranda semper fuit, & ex qua sola de integritate Codicum Hebræorum indubie judicari potest. Nam quod antiquitatem spectat, prior ejus pars usque ad Prophetas jam circa A. M. 3000. Posterior, paulo post ascensionem Christi, ab Apostolis, vel eorum discipulis, translata fuit. Ita enim tradunt ipsi Syri, ut videre est apud Iesudad Episcopum Hadtensem Mesopotamæum, in vetustissimo libro Syriaco, sexcentis abhinc ferè annis manuscripto, cui titulus: Dilucidatio dictionum & verborum difficilium Scripturæ Sacræ. *Volunt autem translationis hujus autores fuisse duos Syriæ Reges, Hiramum Tyri, & Abgarum Edessæ. Id certum est Syriacam versionem Codicum Mosis, jam aliquot seculis ante Christum natum extitisse, ipsosque Syros constanter retinuisse versionem ex Hebræo textu translatam. Et in hanc Iacobus Syrus, ac post eum D. Ephrem commentaria sua in universam Scripturam Syriacè ediderunt, quod Scriptura jam multis seculis ea lingua extaret. Iacobus autem ille interfuit concilio Niceno, quod celebratum A. Ch. 325.*

Ergo ante Iacobum jam multis seculis extabat versio Sy-

riaca,

riaca, Hebræo textui consona, quam (saltem ex parte) à Thaddæo translatam uno ore Syri tradunt. Hæc versio Syriaca tantæ antiquitatis & authoritatis, planè consentit in annis cum textu Hebræo, & Cainanem ignorat, adeoque illa distinctio inter Codices Hebræos antiquos & recentiores evanida est, cum multis ante Christum seculis, & tempora LXX Interpretum, eadem quæ hodie lectio in Codicibus Hebræorum fuerit.

Proximè Syriaco textui succedit translatio Chaldaica, & ipsa antiquitate versioni LXX. vel æqualis, vel superior. Constat enim post captivitatem Babylonicam, quod exolevisset lingua Hebræa, neque eam Judæi amplius intellegerent, versiones Chaldaicas adornatas in Pentateuchum quidem ab Onkelos, in alios libros ab aliis interpretibus. Hæc igitur versio, longe sanè majoris autoritatis quam Samaritana, planè in annis Mosi Hebræo consonat ac Kainanem ignorat.

De Latina Hieronymi versione non est quod quicquam addamus. Ejus ætate Hebræi Codices cum Syriaca & Chaldaica versione in annis planè consentientes erant.

Accedunt Codices Evangelistarum antiquissimi, in quibus itidem nullus apparet Kainan, adeoque integritas textus Hebræi approbatur.

Berosi magna quoque authoritas in hac controversia est; qui origine Babylonius, Alexandro Magno σύγχρονος, ex ipsa Chaldaica Mosis versione Historias suas adornavit. Etiam huic ignotus Kainan.

Jam quod Epochas profanarum gentium spectat, quanquam earum nulla contra Mosen debeat haberi ratio, ubi tamen consentiunt, etiam veritatem & sinceritatem Codicum Hebræorum, luculenter comprobant.

Chaldæorum æra ex Callisthenis ad Aristotelem rescripto, est manifesta. Illi enim annos mille nongentos & tres ad cap-

tam ab Alexandro Babylonem numerarunt. Hic numerus planè cum Mose Hebræo convenit, qui Nimrodum Chusi filium, Chami nepotem, primum Chaldæorum vel Babyloniorum Regem facit.

Ægyptiorum æra ex Constantino Manasse patet: qui in Annalibus suis refert Ægyptiorum Regium imperium durasse annos mille sexcentos sexaginta tres; hos si à tempore quo Cambyses Ægyptum expugnavit, retro numeres, præcise incidunt in tempora Pelegi & divisionem gentium Mosis Hebræi.

Sinensium vel Serum æra certior annis bis mille ducentis & septem antevertit nativitatem Christi. Ita etiam horum Annales (seclusis quos ipsi pro fabulosis habent & incertis) exactè Mosis Hebræi calculum approbant.

Facile nunc erit cuivis judicare ex harum inter se authoritatum, quibus utraq; sententia innititur, comparatione, à qua parte stet veritas. Præsertim cum antiquissimæ illæ & jam ante Christum ac paulo post in ecclesia Iudaica receptæ, sive versiones, sive Paraphrases, cum textu Hebræo, qualis hodieque extat, in calculo annorum (de hoc enim nunc agitur) ad amussim concordent. Inspiciendæ quidem etiam forent Coptitarum, Armeniorum & Abissenorum versiones; sed earum neque copia datur, neque præferendæ sunt authoritati Syriæ & Chaldææ, in quibus tanquam abundè ad omnem de integritate textus Hebræi scrupulum eximendum sufficientibus, acquiescere animus Christianus & potest & debet. Præsertim, quia profanæ etiam Historiæ cum Hebræorum Chronologia, in annis (neque enim nunc de veritate Historiarum & personarum agitur) tam pulchrè conveniunt, ut nulla plane opus sit eorum amplificatione ex corruptis Græcorum, Samaritarum & Iosephi supputationibus,

A creatione ergo usque ad diluvium elapsi sunt anni 1656. *Post diluvium autem hac secundum Codices Hebraeorum Mosis temporum ratio deprehenditur.*

A. M.	Initium regni.	Post diluvium.
1771.	*Chaldaeorum.*	114.
1816.	*Ægyptiorum.*	159.
1893.	*Sinensium.*	235.
2083.	*Profectio Abrahami.*	427.
2513.	*Exitus ab Ægypto.*	856.
3000.	*Templum Salom.*	1343.
3326.	*Roma condita.*	1671.
3328.	*Olympiades.*	1673.
3693.	*Æra Seleucid.*	2036.
4000.	*CHRISTVS natus.*	2343.
4004.	*Æra Dionysiana.*	2347.

GEOR.

GEORGII HORNII
DE VERA
AETATE MUNDI DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Temporum rationem ex Hebræis Mosis Codicibus petendam, nec illos corruptos esse.

Cum mundum non ab æterno extitisse, sed in tempore à Deo creatum, monumenta sacra testentur; initia ejus investigantibus, ex solo Mose, ut fidei, ita quoque temporis, petenda sunt principia; idque apud omnes Christianos in confesso hactenus fuit. Cæterum cum Mosis libri variis extent lin-

guis, quarum una Hebræa, tanquam authentica & originalis habetur: reliquæ Samaritana & Græca non nisi traduces sint: nihil quidem modestis ingeniis dubitandum relinquebatur, quin fontes rivulis, exemplar primævum, versionibus præferendum esset. Sed curiositas humana qualescunque reperit causas quibus tot seculorum confessione stabilitam veritatem, inanibus ferè lacesseret tricis. Accusant Hebraica exemplaria maximorum criminum: corrupta illis videntur omnia quæ cum præconcepta opinione non consentiunt: & ut Gentilium Annalibus, quorum antiquitates idoneis carent testimoniis, suam asserant integritatem, malunt convellere Hebræos Codices, ingentemque scilicet annorum 1440. à Mose prætermissorum hiatum ex Seniorum LXX. vel Samaritarum ac Josephi lacunis resarcire. Neque vero constitutum nobis est de integritate vel corruptione textus Hebræi, versione LXX. ut vocatur vulgo, interpretum, literis & vocalibus Hebræorum, præoccupatum jam à multis argumentum, fusè persequi; quod ne ipsi quidem nisi obiter & ex aliorum præscripto, attingunt. Credituri nimirum textui Hebræo, *si Mosis haberemus autographum.* Quod quia non extare noverunt, hinc il-

læ in librarios accuſationes & omnia variis lectionibus contaminata queruntur. Oſtendant verò nobis illi autographa LXX. Interpretum, Samaritarum & Joſephi : ac tum demum de illorum Codicum authoritate glorientur. Nunc cum omnia hæc multis modis vitiata eſſe, propria confeſſione teſtentur ; viderint qua pietate in Moſis codices adeo injurii ſint, quos cum ipſe Deus amanuenſi ſuo dictarit, quis dubitet quin ſingulari ſemper cura & providentia, omnem corruptionem, quæ quidem veritatem divinarum revelationum ſpectet, ab iiſdem per tot ſecula prohibuerit? Ita quidem ut firmiter ſtatuendum ſit, depravationem codicum Hebræorum nec admiſſam fuiſſe nec potuiſſe admitti, ſive per fraudem Judæorum ſive per incuriam librariorum. Non quod unus alterve librarius, præſertim Sacrarum Scripturarum incurioſus & mercenarius, non potuerit interdum dormitare & labi in transſcribendis Hebræis codicibus : ſed quia impoſſibile fuit omnes labi & in tam craſſos errores conſpirare, præſertim illos qui legis ſtudioſi ac Synagogarum præſides erant, quorum quanta circa codices ſacros religio fuerit ex his Philonis apud Euſebium lib. VII. Εὐαγγ. προπαρ. apparet: πλέω δ' οὖν ἢ δισχίλια ἔτη μὴ ῥῆμά γε αὐτοῖς μόνον

 τῶν

τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγραμμένων κινῆσαι, ἀλλὰ κἂν μυριάκις αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ὑπομεῖναι θᾶττον, ἢ τοῖς ἐκείνου νόμοις καὶ ἔθεσιν ἐναντία πεισθῆναι. Accessit ad hanc Judæorum in conservando Sacro codice religionem, stupenda Massoretarum diligentia, qui etiam singulas literas in censum retulere, & si quæ corruptelæ in quædam exemplaria irrepserant, ex correctissimis & indubitatis ipsi in perpetuum sustulerunt. Sed unum ipsis scilicet defuit quod non ex Græcis LXX. exemplaribus suas correctiones instituerunt. Ita enim omnia bene habuissent & annos 1440. ad magna Regum ultra diluvium excurrentium apud Chaldæos, Ægyptios, Sinenses, spatia explenda, struendamque novam & Hebræis Codd. incognitam Chronologiam lucrati fuissent. Neque tamen diffitemur esse in verbis quibusdam & literis discrepantias: Sed quæ sensum integrum relinquant. Quod multi pietate & doctrina præstantes Ecclesiarum Doctores ita confirmarunt ut sola pervicacia refragari possit. Samaritanum codicem vel eo argumento Hebræis fontibus præferunt *quod scripturam & characteres servent qui jam inde à temporibus Mosis in usu fuere.* Hoc enim quasi probe sibi cognitum & perspectum, ex quorundam temeraria assertione affirmant, ipsi Mosi

illu-

illudentes *qui si reviviſceret ne unum quidem apicem in Judæorum libris aſſequeretur, cum literas habeant à Chaldæis, puncta vero & apices à Maſſoretis.* Quorum etiam induſtriam ſuo ſupercilio alte deſpiciunt quod textum Hebræum non correxerint *ad verſiones cum alias tum præcipue illam ſeptuaginta interpretum.* Hæc enim ipſis ex *omnium optima antiquiſſimaque*: Cum tamen certum ſit illam quæ hodie extat, nequaquam eſſe primævam, vel qua Origenes in hexaplis uſus: ſed ex multis vitioſis diverſorum authorum exemplaribus conſutam & quam ipſi, quotieſcunque ſuo propoſito adverſatur, audacter erroris arguunt ac cenſoria virgula invadunt. Ita Scripturarum majeſtas Sacrarum tandem obnoxia erit judiciis Criticorum quorundam qui ex novitate gloriam quærunt. Sed non deerunt viri zelo divino flagrantes qui graſſantem indies audaciam pro merito compeſcant. Ego paucis id tantum agam ut ex numeris quo profani etiam populi utuntur, oſtendam, omnia optime cum Hebræis codicibus in temporum ratione convenire; Neque tanti penes me erunt vel Chaldæorum Sari, vel Ægyptiorum Dynaſtiæ, vel Sinenſium Annales, adhuc Europæ parum, niſi ex quorundam fide cogniti, ut vel annum addere

Mosaico calculo ausim. Itaque à condito mundo ad hunc annum 1659. effluxisse annos 5663. à creatione ad diluvium 1656. à diluvio ad profectionem & peregrinationem Abrahami 427. Templum Salomonis dedicatum ipso anno M. 3000. Christum natum ipso A. M. 4000. assero & contra quosvis, Deo favente, defendam.

CAPUT II.

Rejiciuntur argumenta illorum qui annos in Codd. Hebræis corruptos asserunt.

Primum argumentum eorum qui corruptos esse numeros codicis Hebræi affirmant, est; *quod nulla justa sit proportio inter vitæ & pubertatis annos. Atqui Deus ita sanxit naturæ leges, ut ubi longa vita, illic quoque sera esset pubertas. Si quis primorum patriarcharum vitam examinet, inveniet illos quanto diutius vixerint, tanto quoque tardius liberis operam dedisse, nec genuisse nisi quinta aut quarta demum ætatis parte peracta. Decrescente hominum vita eadem tamen mansit proportio breviorque ætas maturiorem semper sortita est pubertatem. Cum vero Græca versio longe justius & ordini naturæ convenientius unicuique Patriarchæ annos tribuat, quibus alius alium produxerit, sintque hæc intervalla juxta illorum calculum valde sibi invi-*

invicem analoga, *nequaquam dubitandum esse existimo quin integriores fuerint Codices quos Interpretes illi secuti sunt atque isti quos hodie sequimur.* Hoc argumentum haud leve esse putant. Ad quod breviter ita responderi potest. Utcumque concedamus annos vitæ & pubertatis analogos ac longam vitam seræ pubertati conjunctam esse: id tamen falsum est Græcos Codices longe justius & ordini naturæ convenientius Patriarcharum annos distribuere quam Hebraicos. Spatia pubertatis secundum Mosem Hebraicum satis superque sera sunt, quippe maximum annorum CLXXXVII. minimum annorum LXV. Quales proculdubio anni seræ pubertati adscribi possunt, cum hodie decrepitam senectutem & effœtam constituant. Deinde non constat ex Mose quo præcisè anno quisque Patriarcharum liberos gignere cœperit. De Caino & Abele non traditur quo anno nati fuerint. Nulla etiam fit mentio fæmineæ prolis. Atqui certum est ante Sethi nativitatem Adamo filias fuisse natas: quippe Cain profugus uxorem habuit. De Abele non constat. Neque credibile videtur initium generationis semper à masculis factum. Sera igitur pubertas fuit Patriarcharum, si ætas eorum cum nostris temporibus contendatur, non tantum

quia

quia tardius genuerunt liberos, verum etiam quia per multa secula (septem minimum) vigorem illum sobolis propagandæ obtinuerunt. Quod vero illa pubertas sera cum LXX. Interpretibus usque ad annum ducentesimum & amplius extendenda sit, id eadem qua dicitur facilitate, etiam rejicitur: quin potius illa spatia sunt absurda ac vel eo argumento Seniorum versionem vitiosam esse apparet, quia Patriarchis adscribunt pubertatem nimis seram, quasi florem ætatis transegerint sterilem & duo integra secula nullo παιδοποιΐας studio otiosè consumserint; cum tamen recens esset mandatum, *Crescite & multiplicamini.* Atqui *non genuerunt Patriarchæ nisi quarta demum aut quinta ætatis parte peracta.* Ex ipso laterculo Mosis & LXX. apparet id haudquaquam universale esse: nam modo citius modo tardius genuerunt. Nullæ enim certæ leges temporum pubertati præscriptæ, sed prout quisque in conjugium pronior, ita citius seriusque generat: Id genealogiæ apud Mosen per totam Genesin ostendunt. Deinde falsa hypothesis est, quod initium generandi semper à masculis factum sit. Nihil obstat quo minus Patriarchæ antequam generarent mares, quorum ferè sola mentio fit in genealogiis sacris, fæmellas genue-

genuerint quarum tamen nulla fiat mentio.

Est igitur mera petitio principii: *Græcam versionem longe justius & ordini naturæ convenientius unicuique patriarchæ annos tribuere quibus alius alium produxerit.* Adam Sethum genuit anno Mundi & ætatis suæ CXXX post interfectum jam Abelem. Sed quot anni inter cædem Abelis & nativitatem Sethi effluxerint, ex Mose non constat. Commentum Rabbinorun, quod etiam LXX. sequi videntur, de CXXX. annis, adeo absurdum est ut refutatione non egeat. Theologi ad δοκιμασίαν recurrunt. Quicquid hujus sit (de quo postea) causa tamen nulla est cur numeros Hebraicos in gratiam LXX. Interpretum tot centenariis mactare debeamus. Nam id potius ratio suadet, ut si quid in translationibus labet, ex fontibus restituatur, secundum vulgarem Augustini regulam: *Si translatio ab originali dissentit, ei linguæ potius credendum unde in aliam per interpretationem facta est translatio.*

Provocant ad Josephum, *qui cum Hebræum Codicem, non LXX. interpretum versionem sit secutus, tamen in annis ante diluvium elapsis cum illis conspiret: unde liqueat, hujus seculo in Codicibus Hebraicis aliter scriptum fuisse.* Ex toto Josepho clarissimum est quod usus fuerit versione Græca & exiguam cog-

nitionem linguæ Ebrææ habuerit. Quid ergo ejus authoritas fontibus Hebræis præjudicare possit? Lingua Hebræa iis temporibus jam ferè in desuetudinem apud Judæos abierat, qui vel Græcè vel Syriacè loquebantur. Neque vero *absurdum fuerit maximè credere Josephum Sacerdotem & legum apud Judæos interpretem neglectis Hebræis Codicibus Græcam secutum esse versionem.* Non magis hoc absurdum est quam Cardinalem Bellarminum qui tamen Hebræam Grammaticam scripsit, neglectis Hebræis Codicibus, Latinam secutum esse versionem. Judæi, etiam Sacerdotes, eo corrupto ævo, fere non nisi versionibus utebantur. Hellenistæ, Alexandrini, Græcâ: Babylonii Targumicâ. Sic hodie Judæi passim linguis vulgaribus utuntur. Philo quoque Judæus Græcè doctissimus ipse testatur se Linguæ Hebrææ non satis peritum fuisse. Quidni idem de Josepho dici queat, cum ipsa res ostendat errores ejus in Hebræa lingua?

Mirabilem subjungunt conclusionem; *Ut ut autem id* (quod Beresith Rabba tradit Adamum per 130. annos non persolvisse conjugi suæ jus conjugii) *fabulosum videatur, apparet tamen exinde, ut nunc in Græca translatione ita quoque in Hebraicis libris*

bris exaratum fuisse olim. Et quæ tandem illa apparentia? *Neque enim potuit Cain & Abel simul nasci & eodem quo nati sunt anno, alter ab altero occidi.* Hoc fieri non potuit: sed scire velim quis hoc ita factum tradat? An Moses? nihil hujus in eo extat, an LXX? nihil. An Samaritæ? nihil. Qui ergo? Rabbini Beresith Rabba & quidem ut fatentur, fabuloso commento. Ex fabuloso autem nihil concluditur. Non fabulosum modo sed falsum est & textui Mosis plane repugnans. Adam centesimo tricesimo ætatis anno genuisse dicitur Sethum: supputando illos annos à creatione, non verò à cæde Abelis.

Pone Cainum & Abelem natos anno mundi 10. vel 20. vel 30. vel si id nimis maturum videtur 50. aut 100. etiam Adami. Cainum cum occideret Abelem fuisse annorum vel 100. vel 50. vel saltem tali ætate qua potuerit agriculturam & Abel pastoritiam exercere. Cædem illam factam ante annum Adami 130. tot annis quot vis. Si vel biennio ante facta fuit, Adamus anno 130. Sethum generare potuit. Si igitur inter cædem Abelis & nativitatem Sethi intercedant anni saltem 2. vel etiam centum; tum conclusio Rabbinica concidit: *neque enim potuit Cain & Abel simul*

nasci & eodem quo nati sunt anno alter ab altero occidi.

Nihil igitur est in Hebraica annorum supputatione quod vel rationi vel authoritati repugnet: omnia in ea sunt plana & optimè cohærentia. Neque repugnat Hebraicæ veritati Josephus qui LXX. fuit secutus, neque Rabbini fabulosi, quorum commentum ipsi rejiciunt.

CAPUT III.

Codices Græcos & Samaritanos, itemque Iosephum in annis corruptos esse.

Videamus nunc quam pulchre Codices Græci & Samaritani rem expediant. Secundum LXX. Interpr. Mathusala vixit xiv. annis post diluvium. Multi enim veterum sic jam olim legere in tralatione LXX. nec extricare se possunt nisi ad Hebræos fontes recurrant. Eusebii igitur & Hieronymi & Augustini ævo exemplaria Græca eo crasso errore laborarunt, ut Mathusalam fecerint diluvio superstitem per xiv. annos. Qui error vel solus sufficit ad omnes numeros LXX. convellendos. Nam Mathusala cum non fuerit in arca, oportet ut in eâ divaricatis cruribus equitarit.

Recurrunt ad illum *omnium antiquissimum Codicem quem Alexandrinum vocant* & ad Africanum.

num. Africano ut primum respondeam, fatentur ejus calculum errore sex annorum laborare. Quid igitur ex errante calculo probabunt? Eusebius quoque & Hieronymus & Augustinus ipsis fatentibus errarunt ac vitiosam secuti sunt scripturam. Nihil igitur probant. Sed demus errorem illum de Mathusala posse corrigi ex Codice Alexandrino, Africano, Hebraico, & Josepho: nihilominus manet error sex annorum in nativitate Noachi, & hunc Alexandrinus quoq; Codex, ille omnium optimus, errat. Ita dum unum errorem corrigunt alterum admittunt, & non nisi ex Hebraico textu corrigere possunt. Cum itaque LXX. errarint manifestè vel in Mathusala, vel in Noacho, vel in utroq; hinc patet vanitas ejus versionis. Neq; valet illud: *non dubito quin ita etiam prius fuerit in versione* LXX. Potest enim eodem jure & facilitate regeri: *non fuit*.

De Josepho non est quod laboremus, qui cum secutus fuerit LXX. Interpretes, æque Chronologiam sacram perturbat ac illi, utcumque concedamus legendum esse διϲχιλίων pro χιλίων. Præterea quanta Josephi in Hebræo Codice imperitia fuerit, vel ex hoc ejus turpissimo errore patet. Abelis nomen interpretaturus, luctum exponit: Ἄβελος δὲ σημαίνει πένθος. Quasi nomen ejus fuisset

אבל quod luctum significat, non vero הבל quod vanitas est. Quis vel ex hoc unico exemplo non videt quantus in Hebræo textu Rabbi Josephus fuerit? Et quis credat ab eo inspectum Codicem Hebræum qui tam turpiter in unico nomine & in ipso limine labitur? Præterea quærendum adhuc esset, quâ lingua γεὼν id est גיחון significet ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον præsertim si Nilus sit, quem non ad Orientem, sed Occidentem ac Austrum, in intimâ Abasenâ & ad fines regni Goyam ex duobus fontibus oriri atque inde Septentrionem versus labi, recens docuit experientia. Omitto nunc alia, quod Euphratem vocat Φορὰς & hoc significare dicit σκεδασμὸν ἢ ἄνθος quasi esset פרח: Tigrim Διγλὰθ id est τὸ μετὰ στενότητος ὀξὺ, quod potius cum Arabico دجلة quam cum Hebræo חדקל convenit. Jactat quidem Josephus se tradere Historiam ex Hebraicis translatam literis, & quidem à se translatam profitetur, sed quam male & incuriose id fecerit inde patet, quod neque cum Targum neque cum LXX. neque Samaritanis neque cum ipso N. Test. per omnia conveniat, sed ab omnibus diversa habeat. Id quod prolixe jam ab aliis hinc inde ostensum & propediem, ex nova Iosephi editione dubitantibus manifestum evadet.

evadet. Et sunt in eo errores adeo multi & manifesti ut fidem contra Hebræorum suorum monumenta nullam mercatur. Nam & in anno natali Tharci abit à Græcis pariter atque Hebræis, centesimo quippe & vicesimo patris anno natum scribit. Desideratur insuper in ipso Cainan: recte quidem; sed tamen in novæ Chronologiæ detrimentum. Accusent nunc vel librarios vel Codices Hebræos: parum refert: Josephus erroris manifestus est & qui eum sequuntur, cum errante errant. De Samaritano Codice antequam agamus id præmittendum est: non tantam esse inter Hebræorum & Samaritarum characteres differentiam: ut *si Moses revivisceret, ne unum quidem apicem in Judæorum libris assequeretur.* Nam ex comparatione literarum patet, discrimen esse non tam in substantia literarum quam compendio scribendi. Negligentius enim pingunt Samaritæ eorumque literæ quasi vacillant: ut in Rabbinicis quoque videmus. Quod si quis hujus rei specimen desideret, is Kircherium Tomo II. OEdipi characteres Hebræos & Samaritanos inter se contendentem, evolvat. Samaritanus igitur codex magnam authoritatem obtinet in nova hac Chronologia, post nullam ante diluvium, quod certum

certum eſt. Nam ante diluvium *corruptiſſimam eſſe Samaritarum ſupputationem fatentur, utpote qui* 1307. *tantum annos ad diluvium numerent.* At vero ubi agitur de annis poſt diluvium, tum *veneranda ejus debet eſſe authoritas.* Et tamen mox veneranda hæc authoritas concidit, dum eum *expuncti Caïnani, Arphaxadi truncati* accuſant, culpa tamen, qui mos vulgaris eſt, in librarios rejecta. Quid igitur ex vitioſo codice conficient?

Ac non omnes Codices Samaritanos in annis conſpirare ex Kircherio patet, qui hanc æram ex ipſorum libris proponit.

I.	A creatione ad diluvium	1656.
II.	ad diviſionem linguarum	1996.
III.	ad nativitatem Abrahæ	1948.
IV.	ad nativitatem Moſis	2368.
V.	ad Exitum ex Ægypto	2488.
VI.	ad ædificationem domus prioris	2928.
VII.	ad æram Chriſtianorum	3760.

Ita cum & LXX. & Samaritæ & Joſephus, tria columina novæ hujus Chronologiæ, tam manifeſtos & frequentes errores committant: inde ſequitur non poſſe ex illis certam Chronologiam contra Hebræos Codices adſtrui.

CAP.

Caput IV.

Cainan ex LXX. Interpr. & Luca eraditur.

Cramben illam de Cainane centies recoctam nunc nolo repetere. Videantur illi qui copiosissime hoc argumentum exhauserunt, quorum rationibus ubi satisfactum fuerit, tum demum in gratiam hujus Cainanis & Sinensis Chronologiæ de veritate Hebræorum Codicum dubitabimus. Dicunt: *fidendum exemplaribus*. Ergo Cainan expungendus ex Luca. Quia vetustissimus Codex Bezæ eum non habet. Vetustissimus idem alius, qui extat in Bibliotheca Cantabrigiensi & ante mille ducentos annos scriptus videtur, nullam prorsus mentionem Kainanis facit. Si igitur authoritate vetustissimi Codicis Alexandrini numeros Mosis & LXX. & Eusebii aliorumque mutare licet, quidni eodem jure hujus vetustissimi Codicis, in quo nullus Kainan apud Lucam apparet, eundem expungere liceat? Nulla fit Lucæ injuria, sed vindicatur à corruptela quæ in quædam, non omnia, exemplaria fraude cujusdam, vel ignorantiâ, irrepsit. Quid quod Berosus Chaldæus, scriptor sane fide dignissimus, nullum Cainanem agnovit, quippe quì Abraham

in decima post diluvium generatione collocat? Et hic Berosus vel antiquior vel coæqualis LXX. Interpr. Nullus igitur Berosi ætate in Hebræis vel Græcis Codicibus Cainan fuit: nam alias quomodo Abraham posset esse decimus à Noacho? esset enim undecimus. Id quod etiam Beda in Actus Apostolorum annotavit. Cujus verba sunt: *Qua ratione cum in Hebræo à diluvio, id est à Noë usque ad Abraham decem generationes inveniantur, ipse Lucas undecim generationes juxta* LXX. *Interpretum, adjecto Kainan, in Euangelio, ponere maluit?* Male igitur authoritate Berosi utuntur quasi is Cainanen agnoverit, *cum Abrahamum scribit esse decimum eorum qui post diluvium nati sunt.* Nam initium numerandi sumendum est à Semo, ita ut Semus instituat primam generationem; qua ratione inserto Kainam Abraham erit in undecima generatione. Ita vero numerandum esse patet ex Matthæo ubi genealogias XIV. recenset ab Abrahamo ad Davidem, & ex ipso Mose qui ab Adamo ad Noachum numerat decem generationes. Verba Berchi sunt: δεκάτῃ γενεᾷ.

Si igitur credendum autoritati B. Lucæ, si consensui veteris Ecclesiæ, Kainan expungendus est. Nam vetustissimi Codices Euangeliorum ignorant

rant hunc ὑποβολιμαῖον Kainanen. Ignorant eum Codices Hebræi etiam ante nativitatem Christi & tempora Josephi. Quia Paraphrases Chaldaicæ nullum hujus Cainanis vestigium ostendunt, nec apud Onkelos, nec apud Jonathanem. Jam vero constat illas Paraphrases ante natum Christum fuisse factas, præsertim in Pentateuchum. Ignorat hunc Cainanem Josephus. *Expunctum* dicunt: sed quo argumento? Et cui bono? Hæc vero mira est agendi ratio, modo dicere expunctum aliquid ex Scriptoribus, modo additum. Ita facile erit omnia corrumpere & in dubium vocare quæ certissima sunt. Quid? quod etiam Philo Judæus hunc Cainanen omittit, Josepho antiquior & doctior? *At cedendum totius veteris Ecclesiæ consensui.* Ergo Cainan expungendus: quia eum vetus Ecclesia tota non agnovit. Eusebius eum ignorat. Ergo neque in LXX. neque in Luca ejus ævo extitit. Si enim in alterutro extitisset, cur præteritus esset? Nam defectus LXX. saltem ex Luca suppleri debebat. Ignorat eum Theophilus Antiochenus, Julius Africanus, Epiphanius, Hieronymus, qui tamen profitetur se puram LXX. versionem in Hexaplis Origenis extantem secutum esse, & illam à se repertam conformem textui

Mosis. Unde colligitur ætate Hieronymi nondum in pura LXX. editione extitisse Kainanem, multo minus ergo extitisse ætate Lucæ, vel ab eo genealogiæ Christi insertum fuisse. Omitto nunc alios: nam vel ex hoc abunde patet quam male ad consensum totius veteris Ecclesiæ provocetur. Sed totam hanc de Cainane controversiam complectar verbis viri clarissimi: *Censeo*, inquit ille, *Cainanem nec esse agnitum Mosi nec* LXX. *Interpretibus, nec B. Lucæ; sed per errorē librarii in* LXX. *& Lucam, irrepsisse. Lucæ non fuisse cognitum inde colligo; quod neque in omnibus qui supersunt Codd. habeatur. In antiquissimo quidem non reperit Th. Beza. Sed majus est quod primitivæ Ecclesiæ temporibus in Luca non legebatur: ut liquet ex Irenæi lib.* III. *cap.* XXXIII. *ubi non* LXX. *generationes numerat ab Adamo ad Christum sed* LXXII. *omissis nempe tribus illis Matethat, Levi & Cainan. Sed neque in* LXX. *primitus fuisse his argumentis evincitur. Fl. Iosephus, etsi Græcè scripserit ac* LXX. *sequi soleat, eum tamen præterit lib.* I. *Ant. Iud. cap.* VI. *Nec meminit Epiphanius hæresi* LV. *contra Melchisedecianos disserens. Neque Hieronymus nominat in traditionibus Hebraicis, quanquam ibi disserat de dissensu Codicum Hebræorum & Græcorum. Imo neqe nunc in omnibus Codd. Græcis legitur* I. *Par.* I. *Abest etiam in*

optima

optima edittione Romana Caraffæ. Etiam desiderari in emendatioribus Græcis indicat Maffæus & Pererius. In Mose denique nunquam legitur, neque in Codd. Hebræis, neque Chaldæis, nec Samaritanis: manifesto argumento nunquam in iis fuisse: præsertim cum nemo veterum significet fuisse in nonnullis Hebræorum libris. Hæc ille. Hinc apparet quam non prorsus in eo expungendo absurdi sint viri eruditi, & quod una cum Cainane illo terræ filio, etiam Vitey & quamplurimi Ægyptiorum ac Babyloniorum Dynastæ ad tempus Varronis vel ἄδηλον vel μυθικὸν relegandi sint.

CAPUT V.

Argumentum à proportione annorum vitæ & pubertatis denuo rejicitur.

Nondum igitur probatum est *Græcam translationem ut innumeris aliis in locis, ita quoque in annorum supputatione longè Hebraicorum voluminum calculo esse anteponendam.* Argumentũ à proportione inter vitæ & pubertatis annos, quod tamen palmarium est, nihil plane ad rem facit. Non est putandum primos illos homines tardioris fuisse ad procreandum pubertatis, quam hodie sunt. Longa illa abstinentia ab opere conjugii, non naturæ

defectus, sed liberæ voluntatis consensus, quemadmodum de priscis Germanis Tacitus: *sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur: eadem juventa, similis proceritas: pares validique miscentur, ac robora parentum liberi referunt.* Et sexagesimo quinto anno, qui infimus apud Mosen numerus est, liberos gignere, non est præmaturum, cum alii usque ad 187. annum id protraxerint. Et ad implendum orbem terrarum opus erat frequenti prole, cujus etiam ad singulos Patriarcharum vitas mentio fit; *& genuit filios ac filias.* Quis hic numerum definire ausit? Cum nihil repugnet veritati vel experientiæ, ab uno vel centum aut plures liberos progenitos. Nam tarditatem majori frequentia compensabant, ut ex Abrahamo liquet. Qui cum ante centenarium nullam prolem haberet, postea extrema senecta quam multorum liberorum factus est parens?

Retinenda igitur ab omnibus qui veritatem sectantur Codicum Hebræorum Chronologia etiam ante diluvium: quia rationes quibus LXX. Interpretum versio in locum Hebræi textus intruditur, non sunt tanti, ut vel unus annus, nedum quatuordecim integra secula Mosi assuenda sint.

Caput VI.

Defenditur numerus annorum qui ex Hebræis Codd. colligitur à diluvio usque ad Abrahamum.

Nunc de annis à Noacho & diluvio ad Abrahamum. In quibus quidem magnificè triumphant & pæana ante victoriam canunt LXX. defensores. De discrepantia Codicum nullum est dubium: sed id quæritur: an Hebræi Codices ex Samaritanis & Græcis, an hi ex illis sint emendandi? posterius se effecturos sperant, & *sive argumentis sive testium numero sit pugnandum, vincam illos argumentis, vincam testimoniis.* Argumentum idem est cum superiori: *In Codice Hebræo nimis brevem statui pueritiam, cum longam vitam necessario longa præcedat pueritia. Tempus pubertatis ut plurimum tertia aut quarta pars est vitæ humanæ, raro quinta, rarissime sexta.* Annus minimus generationis post diluvium à Noacho ad Abrahamum est 29. maximus 70. Vitæ minimus 148. maximus 464. Jam quis non videt quam temerè asseratur annos 29. non sufficere ad prolem procreandam? γενεὰ apud Herodotum est annorum fere XXXIII. ita ut tres generationes constituant seculum. Itaque nihil absurdi statuitur dum Patriarchæ genuisse dicuntur anno ætatis XXX.

Non

Non enim quia longior illorum vita, ideo necessario tardior esse debuit genitura: sed hoc privilegii habebant, quod cum diutius viverent, diutius quoque & pluries generarint. Ita ut minime absurdum videri debeat si vel quinquaginta liberi uni Patriarchæ post diluvium tribuantur; idque necessarium erat ut vacuum seculum hominibus implerent: facile etiam, quia fere polygami erant. Et plane falsum ac absurdum est *longam vitam necessario longam præcedere pueritiam.* Totum hoc liberi arbitrii ac consuetudinis est. Natura pubertatis capax est non tantum anno ætatis 29. sed citius, ut exempla vulgo nota ostendunt. Neque hic valet illa exceptio *maturam pubertatem brevem vitam designare.* Hoc enim etsi interdum fiat, non tamen necessarium est. Longa vita primorum parentum non tam naturæ quam indulgentiæ & Gratiæ divinæ opus fuit. *Si Arphaxad, Sala & Eber tam maturè genuissent, utique decimæ quintæ generationi interfuissent: imo & vicesimam potuissent videre, cum constet contractiora paulatim facta esse generationum spatia. Absurdum autem fuerit credere aliquem unquam diu adeo interfuisse posteritati suæ.* Hæc eadem facilitate qua dicuntur, etiam rejiciuntur. Sit ita, interfuerint illi posteri-

tati ſuæ tamdiu: quid in hoc abſurdi? Rarum fortaſſe & inuſitatum, non abſurdum, dicere queas. Si Hiſtorias ad captum intellectus noſtri & rationis adaptare velimus, multa habebimus abſurda. Id abſurdum fuerit quod credere nolimus. Sed hiſtoriæ fidem, non rationem lectoris, requirunt. Alias tranſitum Iſraelitarum per mare rubrum eadem diffidentia quis in dubium vocaverit.

At Iſaaci ævo vita hominum tanto erat brevior, quadrageſimus annus pro juvenili ætate fuit habitus. Si pro virili dicas, concedam: de juvenili ætate nulla mentio. Et an arbitrabimur Iſaacum non potuiſſe citius uxorem ducere, ſi ita ei viſum fuiſſet?

Hoc autem non tantum ab omni veriſimilitudine remotum ſed & abſurdum prorſus, quod juxta hanc ſupputationem Noachus vixiſſet uſque ad annum Abrahami quinquageſimum octavum. Semus verò ſupervixiſſet Abrahamo totis triginta quatuor annis. Atqui Abrahamus à Noacho fuit undecimus. Semus vero duodecimum vel etiam decimum tertium cognoviſſet hæredem. diu ſiquidem juxta Hebraicum calculum cum Jacobo & Eſavo vixit. Adeone quis infelicis ſit judicii ut hæc contigiſſe exiſtimet? Noachus ſecundum Chronologiam

giam Hebræam obiit A. M. 2006. Abrahamus autem natus eſt A.M. 2008. Ergo Noachus biennio ante natum Abrahamum exceſſit; non verò vixit uſque ad annum Abrahami quinquageſimum octavum. Nam nativitas Abrahæ non incidit in annum Tharæ LXX. ſed CCV. ut recte infra obſervatur. Ergo error quorundam in anno nativitatis Abrahami commiſſus, non erat imputandus Moſi Hebraico. Ita falſum quoque eſt Semum ſupervixiſſe Abrahamo totis triginta quatuor annis: nam obiit A. M. 2158. Abrahamus demum A. M. 2183. Ita XXV. annis Abraham ſuperſtes Semo fuit. Neque dici poteſt Semum juxta Hebraïcum calculum diu cum Jacobo & Eſavo vixiſſe. Quadriennio enim ante nativitatem Jacobi & Eſavi Semus jam diem ſuum obierat. *Semus duodecimum vel etiam decimum tertium cognoviſſet hæredem.* Decimum tantum ut ex jam dictis patet. Quod nihil abſurdi continet: cum etiam noſtro ævo fuerint qui ſextam vel ſeptimam generationem viderint. Non ergo *hoc ab omni veriſimilitudine remotum & abſurdum prorſus eſt.* Conſtat enim quot generationes Carolingorum Johannes de Temporibus triſeclïſenex ſuperarit: & ille nuper Anglus ſub Edoardo IV. natus, ſub Carolo denatus,

tus, qui novem vel decem Regibus σύγχρονος fuit. Atqui *jamdiu ante Abrahamum varia toto orbe regna erant fundata.* Concedo: & illa regna erant Babylonium sive Sinaaræ, Elassaris, Elami, & gentium. Præterea Sodomæ, Gomorræ, Adamæ, Zeboim, Zoaris, Salem, Gerar; tum Ægypti, Lydiæ, Arabiæ felicis, & in Græcia Ægialiæ, Lelegum, Messeniorum, Ectenum, Cretensium. *Jam dynastiæ aliquot in Ægypto desierant quæ ab authoribus sigillatim memorantur.* A Manethone scilicet. Sed de his dynastiis suo loco.

Nemo tamen Noachi meminit. Silentium non est negatio. Vulgo dicunt: argumenta negantia parum esse efficacia. Nec enim si quis non dicat, eò verum non est. Non meminere Noachi: an inde consequitur, ergo Noachus tum non fuit superstes? Non meminere Noachi, scilicet sub hoc nomine: an vero non meminere sub alieno? Nam quis fuit Janus in Latio nisi Noachus? quis Ogyges, Deucalion, nisi Noachus? Imo quis ipse Poëtarum Saturnus nisi Noach; qui tres ejus filii, Pluto, Jupiter, Neptunus, nisi Sem & Simmas, Ham qui Ammun & Ammon, Japhet sive Japetus vel Jupiter. Præterea Chaldæorum Annales meminerunt Noachi, quem Oannem vocant.

Et ut omne dubium auferatur, Sinenses in Annalibus suis ipsius Noachi & diluvii meminisse, quidam referunt. Habent ergo de quo ambigunt. Et infra ostendetur ipsum Vitey Sinensis regni conditorem, non alium à Noacho esse posse. *Sane si istis temporibus inter vivos etiam nunc fuisset ille humani generis auctor & princeps, pleni essent gentium annales de hoc miraculo.* Et fortasse fuerunt: sed abolevit vetustas. Ejus saltem meminerunt: id satis est. *Sed nec ipse hoc prætermisisset Moses.* Non prætermisit: quia ex ejus numeris hoc manifeste & sponte consequitur.

CAPUT VII.

Defenditur tempus structæ turris Babylonicæ & dispersionis gentium secundum Codd. Hebræos.

J*am vero quis credat turris Babylonicæ constructionem, confusionem linguarum ac dispersionem gentium, factam esse vix uno post diluvium seculo?* Primo non necesse est hoc credere, neque omnes illi qui authoritatem Codd. Hebræorum Mosis tuentur, hoc credunt. Pelegi temporibus factam dispersionem gentium in confesso est. Ejus autem tempora annos complectuntur CCXXXIX. & distribui possunt in nativitatem, mediam ætatem & senectam

ctam sive mortem. Nativitas incidit in annum post diluvium centesimum. Intra quod tempus generari potuerunt ex tribus filiis Noachi aliquot hominum millia, præsertim cum mox vagis libidinibus dediti fuerint. Tanta autem multitudo sufficit ad turrim struendam & diversa regna, quæ initio admodum angusta & tenuia fuerunt, condenda. Demonstrationem hujus Arithmeticam facile suppeditabunt autores qui hanc rem ex professo tractarunt: nobis summa tantum capita delibasse sufficiat.

Atqui tum Noacho forsan necdum tertius natus erat hæres. Forsan etiam quartus vel quintus. Nam ita statuendum est, prout ante, ita post diluvium, paucos tantum commemorari, nimirum illos ex quorum serie Christus nasciturus erat, reliquis omnibus omissis & præteritis. Annon inter Levin quoque & Mosem non nisi duæ generationes commemorantur? quorum ille cum LXXII. animabus Ægyptum ingressus, alter cum sexcentis peditum militariter instructorum agmine, Ægyptum egressus fuit, & hæc omnia ad summum intra annos CCCCXXX. minimum CCXV. acciderunt. Quod si inter CCXV annos ex LXXII. personis prognata fuerunt sexcenta mi-

litum millia, præter fæminas, impuberes, lixas & calones. Quod genus hominum castra sequentium fere duas tertias exercitus constituere solet: an mirabimur intra centum post diluvium annos, ex tribus Patriarchis minimum quinquaginta fortium virorum millia generari potuisse præter fæminas & pueros? Annon hic numerus sufficit ad turrim struendam? ad regna quinquaginta condenda, si singulis tantum mille cives adscribas? Quod non est insolens. Nam vel ex Hispanis scriptoribus constat Pelagium regni Gothici post cladem Saracenicam instauratorem, initio vix mille militum, Garsiam Suprarbiæ Regem vix trecentorum Regem fuisse. Singulæ civitates singula regna erant, ut ex Mose & profanis quoque Scriptoribus patet. Et notum est regnum Yvetot in Normannia Franciæ.

Quod si nativitas Pelegi non sufficere videatur, ad tantam hominum multitudinem procreandam, qui turrim struere & dissipari in varias regiones possint, sumamus mediam ejus ætatem. Non enim existimandum est uno præcise anno factam illam gentium dispersionem, sed prout in omnibus migrationibus fieri solet (exemplo sit Jönum migratio Asiatica) alii citius, alii

tar-

tardius ad loca ſibi deſtinata profecti ſunt Babylonii, quia in loco ſuo manſerunt & non migrarunt, hinc omnium antiquiſſimum regnum condiderunt, cujus initium incidit in annum poſt diluvium 114. Pelegi 14. Ægyptii 45. annis recentiores ſunt: eorum enim regni initium eſt annus M. 1816. poſt diluvium A. 160. Pelegi 60. Et ita de reliquis populis ſtatuendum eſt, ita ut hæ migrationes tota Pelegi ætate durare potuerint uſque ad A. M. 1996. poſt diluvium 218. Et hoc Scriptura non obſcure innuit dum Pelegum ita appellatum ſcribit: *quia in diebus ejus diviſa fuit terra.* Dies autem ſtylo Scripturæ frequenter vel totam vel maximam vitæ partem ſignificant. Vocant hanc multiplicationem generis humani *miram methodum: primos namque poſt diluvium patriarchas tam fœcundos fuiſſe dicunt ut anno ætatis duodecimo vel etiam prius liberis gignendis operam dederint. Sed ſanè etiamſi concedatur eos cucurbitarum inſtar pullulaſſe, non tamen efficient ut hæc computandi ratio non ſit prorſus ridicula.* Hæc ſatis jocosè: & tamen multiplicatio Iſraelitarum in Ægypto ſecundum miram hanc methodum facta fuiſſe traditur, non tamen cucurbitarum inſtar. Neque opus eſt fœcunditatem ab anno duodecimo, vel etiam

etiam prius arcessere (quanquam hoc non sit insolitum) sed sufficit ordinaria & stata ætas qua hodieque gignundis liberis operam dant. Si quis illam computandi rationem cognoscere avet, adeat illos qui ex professo de hac materia scripserunt, & reperiet eam non esse prorsus ridiculam. Præcipuum fœcunditatis adjumentum fuit partus multiplex, sicut Trogus testatur, hanc causam tantæ hominum multitudinis in Ægypto fuisse: *quod septenos uno utero simul gignerent*. Ordinarie nimirum & ut plurimum. Aristoteles tradit cum plurimum quinque simul nasci, sæpe tres vel quatuor.

CAPUT VIII.

Probatur tempora Nini, Semiramidis, Regum Chaldæorum & Arabum, Ægyptiorum & Serum dynastias optime convenire cum annis Codd. Hebræorum.

Istud vero non absurdum tantum sed & stultum & quod fieri minimè potuit, octavo & quinquagesimo post diluvium anno apud Assyrios regnasse Ninum & Semiramidem. Quotquot Iudaicum sequuntur codicem hoc tempus illis assignant. Usserius in accuratissimis Annalibus suis, Nino & Semiramidi assignat A.M. 2737. Ergo undecim fere seculis diluvio poste-

posteriores facit. Igitur falsum est *quotquot Judæorum sequuntur codicem, octavum & quinquagesimum post diluvium annum Nino & Semiramidi assignare.* Pergunt: *Quid sentiendum de Belo & aliis Chaldæorum & Arabum Regibus, qui quadringentis & quadraginta annis ante Ninum imperium tenuerunt.* Satis illis spatii relinquit Usserii calculus. Chaldæi enim sub Evechoo regnare cœperunt A.M. 2242. id est sexcentis demum annis post diluvium. Arabes A.M. 2466. post hos A. M. 2682. Belus Assyrius quem postea Ninus excepit. *Quid fiet de variis Ægyptiorum dynastiis quas certum est aliquot seculis Abrahamo esse vetustiores?* Falsum est illas dynastias aliquot seculis Abrahamo esse vetustiores, nisi Manethonis insana figmenta hic admittere velimus, quæ paulo post rejiciuntur. Initium regni Ægyptiaci incidit in A.M. 1816. ex supputatione Usserii. Quia ad Cambysem usque regnatum apud eos annis 1663. à quo si retrò numeres, initium incidit in annum 1816. Circa quod tempus Misraim Chami filius colonias in Ægyptum duxit, quæ inde Misraim & terræ Chami ac in antiqua Ægyptiaca lingua χημι nomen accepit. Abraham natus A.M. 2008. Ergo non integris duobus seculis vetustius Abrahamo. Intra quod tamen

E tem-

temporis ſpatium potuerunt variæ dynaſtiæ regnare, ſalva Moſis Hebræa Chronologia· *Quid denique ſtatuendum de Seribus, qui vulgo Sinenſes appellantur, quorum accuratiſſimam Chronographiam ſi ſequamur, jam diluvium ſeptem vel octo ſeculis anticipabit Moſaicum.* Si hoc ita ſe habet, ſtatuendum erit eorum accuratiſſimam etiam Chronologiam eſſe falſam, non ſecus ac illa quæ de æternitate mundi & ſuo Panſone ac Panſona, Tanomo, Teiencomo, Tuhucomo, Lotzizano, Azalamo, Atzione, Uſaone, Huntzujo, Hautzibona, Ochentejo, Etzomlone hujuſque tandem generoſo filio Vitey nugantur. Quod ſi Chatai iidem cum Sinenſibus, tum ſecundum eorum accuratiſſimam Chronographiam à mundi creatione ad hunc annum 1659. effluxerunt anni Solares completi 88.640075. ut ex Ulugbeigo manifeſtū eſt. Sed de hac Serum Chronologia & quod vel ipſorum confeſſione non anticipet diluvium ſeptem vel octo ſeculis: verum diluvio poſterior ſit annis CCXXXVII. infra ſuo loco ex ejus gentis Annalibus & fide Jeſuitarum. *Vnum hoc nunc addimus, ſi tempora ſubducamus juxta receptam Hebraici codicis Scripturam, nongentium tantum Hiſtoriis ſed & ipſis Sacris literis meram inferri noctem.* Et hoc, uno verbo,

fal-

falsum, contrarium verum est, ut ex illis quæ dicta sunt, & porro dicenda restant, patet.

Caput IX.

Rejicitur numerus annorum qui ex LXX. colligitur.

LXX. Interpretum de annis Patriarcharum post diluvium, numeros propterea præferunt Hebræis, *quia intervalla & spatia quæ cujusque nativitatem intercedunt, longe æquabilius & naturæ convenientius hic signentur atque in Iudaico calculo.* Contrarium jam ante ostensum. *Vt enim vita, sic quoque illi anni quibus quisque natus est sensim & justa ratione decrescunt.* Idem fit in numeris Mosis Hebraicis & longe exactius. Unde omissi in laterculo LXX. anni vitæ, ne infirmitas illius opinionis pelluceret.

In Cainane expungendo prorsus absurdi sunt, de hoc jam dictum. Absurdi qui Cainanem retinendum censent. *Minimè quoque audiendi sunt qui septuagesimo Tharæ anno natum Abrahamum contendunt: Rectius illi qui in annum patris* 130. *natalem ejus conjiciunt.* Ita omnino res se habet & ex Hebraico calculo hoc plane consequitur.

Effluxere itaque à diluvio usque ad natalem Abra-

hami anni 1132. secundum falsam supputationem LXX. & Annalium Sinensium. Moses tantum numerat à diluvio ad natum Abrahamum annos CCCL.

Quæ de Samaritarum Codice & Josepho afferuntur, jam supra examinata sunt. Ideo ad eruditas gentes, id est Chaldæos, Ægyptios & Seres accedimus. Ubi initio tanquam fundamentum quod ipsi gentiles sua sponte admiserunt, illa Varronis apud Censorinum distinctio temporis præmittenda est. *Varro tria discrimina temporum esse tradit: primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. Secundum à Cataclysmo priore ad Olympiadem primam, quod quia in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos: quod dicitur ἱστορικὸν, quia res in eo gestæ veris Historiis continentur.* Hæc non ad Græcorum modo, verum imprimis Chaldæorum, Ægyptiorum & Sinensium res applicanda sunt, ut ex sequentibus patebit.

CAPUT X.

Probatur annos Chaldæorum optime convenire cum Codicibus Hebræis.

Quæritur: *rectè ne faciant qui Chaldæorum, Ægyptiorum ac Serum antiquitatibus ad evertendam*

dam Mosaicæ Historiæ veritatem abutantur? Non recte hoc fieri fatentur, & quanquam accusent alios quod nimiâ antiquitate peccarint, tamen culpæ ipsorum, saltem quoad annos 1440. ultro accedunt. Chaldæorum maximè probabiles antiquitates ex cœlestibus Magorum ac Astrologorum observationibus conficiunt annos mille nongentos & tres, ut Callisthenes Aristoteli significavit. Historia ex Simplicio nota est. *Incidit hoc tempus in annum post diluvium sexagesimum primum, juxta vulgarem supputationem.* Usserius jam hunc errorem detexit, ex quo disci potest, initium harum observationum Chaldaicarum incidere in A.M.1771. Ergo in annum 115. post diluvium. Ita annis 54. aberratum à scopo. Videamus quam pulchre omnia sibi constent secundum numeros Hebræorum. Babylonem condidit Nimrod, à quo tota Chaldæa terra Nimrodi fuit appellata. Nimrod autem filius Chusi, nepos Chami, tertius à Noacho. Ponamus Chusum fuisse genitum anno 1. vel 2. post diluvium, id quod ex Arphaxadi nativitate clarum est. Chus igitur anno ætatis 35. gignere potuit Nimrodum. Cum interim decurrente toto seculo, post A.M. 1757. dispersio gentium fieri cœpisset, & tota Pelegi vita conti-

nuaret, ut supra ostensum. Nimrod occupata Babyloniâ ibidem regnum condidit, cujus initium ex observationibus Chaldæorum incidit in A. M. 1771. Falsum igitur est *nullos tum Chaldæos, nullum Regem, non Babylonem ipsam, nullam denique curam observationum Astronomicarum fuisse.* Chaldæi fuerunt vel Babylonii (non enim de nomine litigabimus) quibus Nimrod imperabat. Rex ipse Nimrod. Babylon urbs illa à Nimrodo exstructa una cum aliis, quarum nomina apud Mosen expressa leguntur. Hæc adeo clara sunt ut nulla sit necessitas ad corruptissimos LXX. codices velut sacram anchoram confugiendi. Et cur nullos tum Chaldæos fuisse asseritur, cum constet illam gentem à Chuso & conditam & appellatam? Chaldæa enim est terra Chus, id quod ex Sacris literis evidentissimum; & *Chasdim* plurali numero à Chus derivantur, unde Susiana hodie Cusistan & Susæ Arabibus Ahwaz. Quod vero dicitur *Ninum & Semiramidem non fuisse primos Babyloniorum Reges, sed ante ipsos septem Chaldaicos Reges ac præterea sex Arabes*, id ita esse largiamur, ac in Chronologia nomina eorum & tempora expressa dabimus salvo Mosis Hebraico calculo. Ut vero appareat satis spatii superesse ad locandum Re-

ges illos Chaldæorum qui vel ante vel post diluvium regnasse dicuntur (fides sit penes autores) en Catalogum. In quo observandum annos Regum ante diluvium in dies resolutos esse: ita ut centum Sari efficiant annos 1200. neque causa satis justa est cur hæc ratio displicere debeat: quia nunc non agitur de veritate Historiarum, sed temporum: neque id quæritur an unquam extiterint in rerum natura illi Reges gigantes ab Aloro ad Xisuthrum, ab Evechoo ad Belum: Sed an tempora quæ ipsis adscribuntur, cum calculo Mosis Hebraico conciliari possint.

Reges Ghaldæorum quos ante diluvium regnasse volunt.

A. M.

472. *Alorus*. 98. 7. 20.
571. *Alasparus*. 29. 7. 5.
601. *Amelon* sive *Amilarus*. 128. 2. 25.
729. *Amenon*. 118. 4. 10.
848. *Metalarus* sive *Megalanus*. 177. 6. 15.
1025. *Daorus* sive *Daos*. 98. 7. 20.
1124. *Ædorachos* sive *Anodaphos*. 177. 6. 15.

1302. *Am-*

1302. *Amphis.* 98. 7. 20.
1401. *Otiortes* five *Artus.* 78. 11.
1479. *Xisuthrus.* 177. 6. 15.

Poſt diluvium Reges Chaldæi in Babylonia.

2242. *Evechous.* 6. 8.
2249. *Chomasbolus.* 7. 6.
2256. *Porus.* 35.
2291. *Nechubes.* 43.
2334. *Abius.* 48.
2382. *Omballus* 40.
2421. *Chinzirus.* 45.

Arabes in Babylonia.

2466. *Mardocentes.* 45.
2511. .... 40.
2551. *Siſimordacus.* 28.
2579. *Nadias.* 37.
2616. *Parannus.* 40.
2656. *Nabonnadus.* 25.

Aſſyrii in Babylonia.

2682. *Belus.* 55.
2737. *Ninus.* 52.
2789. Semiramis. 42.
2831. *Ninyas.*

Qui

Qui hunc ſequuntur longo ordine apud Africanum & Euſebium ſine dubio vel fabuloſi ſunt vel fabulis contaminati. Quod vel ſola nomina undique ad tam longam ſeriem explendam corrogata, oſtendunt. Quid enim Perſa *Xerxes*, Medus *Soſarmus*, *Horus & Anabos* Ægyptii, *Amyntas* Macedo, & Græci *Laoſthenes*, *Lamprides*, *Lampraís*, *Panyas*, *Dercylus*, *Eupacmes*, *Pyritiades* inter Aſſyrios? Sicut igitur *Ægyptii deduxerunt in terram ſidera & planetas, ipſúmque exhauſerunt cœlum, ne deeſſent pulchra vocabula, quibus Ægyptiacorum Regum Catalogus inſtrueretur*: ita Aſſyrii colonias Regum ab Ægyptiis, Macedonibus, Græcis aliiſque populis mutuati ſunt, ut longam illam ſeriem ſeculorum generoſis nominibus explerent. Itaque à Ninya ad Sardanapalum, etiam Herodoti calculo, effluxêre anni fere quadringenti, intra quod ſpatium compingendi ſunt Reges Aſſyriorum, ſi quando verus eorum Catalogus ex ruderibus Ninives eruatur. Duo in Sacris literis & illi quidem antiquiſſimi extant, *Amraphel* Rex Sinaar & *Cuſan Ritſathaim* Rex Meſopotamiæ, in qua etiam Chaldæa. Quæ de immenſis illis annorum myriadibus quas antiqui autores commemorant & Saris Chaldæorum ſubjunguntur,

quia rem præsentem non tangunt, suo loco relinquimus.

CAPUT XI.

Probatur Dynastias Ægyptiorum optime convenire cum Codd. Hebræis.

De Ægyptiorum antiquitatibus acturi, *Menem primum omnium hominum qui in Ægypto regnarunt*, statuunt. Mallem pro Mene posuissent Misraim: is enim & gentis conditor & primus Rex fuit. Sed sive is Menes idem fuerit cum Misraimo, sive conditor novæ familiæ: jam ante dictum fuit, initium regni Aegyptiorum incidere demum in annum M. 1816. Hinc series Regum proficiscitur, quorum ingentē Catalogum Manetho Ægyptius contexuit, de cujus fraudibus multa egregia habent & ostendunt quę fuerit illa terra Seriadica, ex cujus cippis nugator se antiquitates istas Ægyptias hausisse commentus fuit. Sed videamus num non idem de Seribus dici possit. Comparemus enim cum Manethone Confutium: annon huic æque facile fuit imponere genti suæ, & Reges quam plurimos ex cerebro fingere, qui nunquam fuerint? Et quemadmodum Manetho mala fide, gentis suæ vetustatem in immensum exten-

extendit, diversos *Regulos & Sacerdotes qui in diversis Nomis seu præfecturis simul regnarunt, separando ac longam contexendo seriem, annos implicitos in solidos permutans*: Ita idem Confutium in Seribus egisse. Ut igitur dicamus quod res est: antiquitates illæ Ægyptiorum sive Manethonis sive aliorū, ita sunt distortæ & confusæ, ut vix aliquid certi statui possit. Monstrosa sunt quæ autor Chronici Alexandrini de serie illorum Regum tradit, qui tamen menses quoque & dies, ne quid vanitati deesset, annotavit. Id tamen non videtur rejiciendum, tempore Mosis Ægyptum in plura regna divisam fuisse, Heliopolitanum, Memphiticum aliaque. Recte statuitur illos *errare qui Dynastiam Thinitarum & Thebanorum Diospolitarum divellunt*. Revera enim coincidunt, ut ex comparatione nominum & temporum patet: nisi quod nomina interdum & anni varient: nam in dynastia Thebanorum sunt pauciores Reges ac anni: & interdum duo tresve Reges aliarum dynastiarum in unum contrahuntur; quod ex varia lectione ac confusione nominum profectum videtur. Series Regum Ægypti secundum traditiones Arabum extat apud Kircherium Tom. 1. Oedipi Ægyptiaci qui ab Adamo & Kaino Reges suos ad

diluvium uſque deducunt. Volunt enim illi, idque non improbabile videtur, Ægyptum propter eximiam fertilitatem & regionis pulchritudinem, jam ante diluvium à poſteris Adami cultam & habitatam fuiſſe. Catalogus ex Joſepho aliiſq; ſecundum numeros Hebraicos hic texi poteſt.

Reges Ægypti.

1816. *Mitzraim.*
Menes.
Athotis.

Poſt hos diviſa videtur Ægyptus in duo regna celebriora, Memphiticum ſive Aegypti inferioris, & Thebanum ſive Aegypti ſuperioris, quod alio nomine Thiniticum & Dioſpolitarum dicitur. Memphiticum occupatum fuit à gente Hycſos. Itaque hæc ſeries.

Reges Memphitici.

1920. *Saites* ſive *Salatis*. 19.
1939. *Anon* ſive *Bæon*. 44.
1983. *Pachnan* ſive *Apachnas*. 36.7.
2020. *Staan* ſive *Apophis*. 61. *alii* 8.
2081. *Arcles* ſive *Janias*. 50.1.
2131. *Aphobis* ſive *Aſſis*. 49.2 *alii* 61.

Finis regni Hycſos qui Aegypto expulſi littora Pa-

ra Palæſtinæ occuparunt, ibique gentem Philiſtæorum condiderunt.

Reges Thebani.

Timæus. Ejus ſucceſſores eruendi eſſent ex Manethonis dynaſtiis, Africano, Euſebio. Sed quis ex illis tenebris lucem ſperet? Itaque omiſſis dubiis, tandem regnavit in Thebaide *Alisfragmutoſis*: poſt quem expulſis Hycſis, totius iterum Aegypti Rex factus fuit

2179. *Thethmoſis* ſive *Amoſis*. 25.4.
2205. *Chebron*. 13.
2218. *Amenophis*. 20.7.
2239. *Ameſſis*. 21.9.
2261. *Mephres*. 12.9.
2273. *Mephramutoſis*. 25.10.
2299. *Thmoſis*. 9.8.
2309. *Amenophis*. 30.10.
2340. *Orus*. 36.5.
2376. *Acenchres*. 12.1.
2388. *Rathotis*. 9.
2397. *Acencheres*. 12.5.
2410. *Acencheres*. 11.12.3.
2422. *Armais*. 4.1.
2426. *Rameſſes* 1.4.

2427. *Ramesses Miamun.* 66. 2.
Sub hoc Moses censetur natus.
2494. *Amenophis.* 19. 6.
Hic in mari rubro submersus.
2515. *Armais* sive *Danaus*, cui successit frater *Sethosis* sive *Ægyptus*, qui Herodoti *Sesostris* & *Rhamses* Taciti.
2533. *Busiris.*

Catalogos Regum Æthiopiæ à Chuso, Arabiæ Felicis à Cahtan sive Joktane, Persarum à Kaymarra filio Aram, filio Semi, texere non est opus.

CAPUT XII.

Probatur Serum antiquitates non infringere fidem Codd. Hebræorum Mosis.

Serum tempus Historicum incipit annis ante natum Christum 2847. *Septem tum simul Reges habuere, quorum posteritas per annos sexcentos quadraginta duravit. Exin regnum Serum devolutum est ad familiam Hiaa.* Si vel ipso Martinio teste, *usque ad annum ante Christum* 2207. *Sinenses fatentur nihil certi se habere in Historia sua:* quomodo Serum tempus Historicum incipit annis ante Christum 2847? Non igitur tempus Historicum, sed fabulosum, incipit

annis

annis ante natum Christum 2847. idque per annos sexcentos quadraginta durat, usque ad annum ante Christum 2207. qui est mundi 1893. Ab hoc demum tempore certior Historia Sinensis incipit cum familia Hiaa & Imperatore Yvuo. Hæc ipse Martinius ita tradit, penes quem omnis rerum Sinensium apud nos fides esse debet. Sublatis igitur ex Sinensi Historia fabulosis annis 640. initium Historici temporis præcise incidit in dispersionem gentium & ætatem Pelegi, secundum calculum Mosis in Codicibus Hebræorum: adeoque hoc invictum quoque argumentum est, quo illa quam instituimus supputandi ratio & simul Sacrarum Scripturarum Hebraicarum authoritas stabiliatur. Si quis vero tempus Historicum & Mythicum in Sinensium Annalibus confundere velit, adeoque in universum annos 4505. ipsorum Regibus adscribere, tum quidem secundum Hebraicum calculum, numerus hic aliquot seculis anticipabit diluvium: neque tamen propterea codices Græci, ubi laxiora temporum spatia, Hebræis præferendi sunt, quia fabulosa non sunt ad veritatis normam nimis rigidè examinanda.

Quid enim hoc ad Codices Hebræos, quod Sinenses Catalogum Regum suorum à temporibus

bus ante diluvium deducunt? Ipsis hoc, ut & aliis populis, ita placuit Nihil novi fecerunt; habent exempla aliorum quibus se defendant. An propterea statuendum erit Codices Hebræos corruptos? Multis nationibus placuit Regum suorum Catalogos à temporibus ultra diluvium arcessere: neq; id vel soli Sinenses fecere, vel propterea Codices Hebræi erroris arguendi. Nam cum ante diluvium quoque magna fuisse imperia & Heroas cognovissent ex majorum traditionibus: singulæ gentes hos sibi tanquam conditores illustres arrogarunt. Idq; Moses disertim innuit, dum dicit: eos ab omni ævo fuisse famosissimos. Non sane id vult, ante diluvium tantum, verum postea quoque celebrem eorum & famosam memoriá fuisse. Unde illi in Chronicis προληπτικοὶ periodi & supra diluvium excurrentia tempora. Nemo opinor refragabitur, si id ipsos Græcos, & Latinos fecisse ostendi possit, & si Græcis, etiam Sinensibus, facere licuisse. Inachus Regum Argivorum antiquissimus censetur. Hunc esse Ἀνακὸν & Enochum jam dudum eruditi multis argumentis probarunt. Si nominis convenientia spectetur, quid clarius quam Inacho, Enocho, Annaco, idem esse nomen? Si res gestas: uterque primus urbem struxisse

xisse & regnasse dicitur: ille Argos hic Hanoch. Et quamdiu ante diluvium vixerit hic Inachus secundum commenta Græcorum, ex Eusebio & aliis patet. Nam quia diluvia Græcorum unum idemque sunt cum Noachico, necessario consequitur Inachum, quia diu ante illa diluvia vixisse traditur, ante diluvium Noachi vixisse, vel fabulosũ esse. Atque hoc propterea moneo, ne ex Eusebio præsidium quæratur, qui Inachum diu post diluvium locat. Hinc manifestum est & Sicyoniorum & Argivorum Reges, qui ante Ogygis & Deucalionis diluvia vixisse perhibentur, vel planè fabulosos esse, vel ex Heroibus illis, quos ante diluvium vixisse Moses tradit, utcunque expressos. Sic Saturnus non tantum Noach, verum etiam Cainus est. Quod ex Mose patet. Qui describens Cainum, utitur voce Satar; & eum à Jehova fugisse dicit, sicut Saturnus à Jove suo, apud Poëtas, ex Creta in Italiam ad Janum fugit. Tubalkain sine dubio Vulcanus est, & nominis argumento, & artium, quas uterque invenisse dicitur. Idem de Mercurio, Apolline, Pallade & aliis diis vel Heroibus statuendum, qui Musicam aliasque artes invenisse traduntur, quod sint Jubal, Jabal, Aba, Zilla. Si igitur Græcis pariter & Latinis li-

cuit Regum suorum Catalogos augere nominibus & personis illorum Heroüm qui ante diluvium vixerunt, & quorum fama diu celebris fuit etiam post diluvium: quidni idem Sinensibus accidisse statuemus? Sit ergo ipsorum Vitey, cujus initium nostro calculo incidit in A. M..1253. Noachus. Noach natus est secundum Codd. Hebræos A. M. 1056. Ergo A. M. 1253. erat jam annorum 197. Longævum fuisse Vitey Sinenses tradunt, quippe cui adscribunt regnum centum annorum. Si non in omnibus Noacho & Viteyo convenit, fabulis imputandum. Et sane nihil frequentius est in antiquissimis illis Chronologiis, quam quod à Noacho, qui tum ante tum post diluvium vixit, Reges suos & tempora auspicantur. De Jano res clara est, qui cum conditor Italorum Regum perhibeatur, Noachum nomine & suo & regionis quæ Oenotria dicta, refert.

Sed & ipsæ Sinensium traditiones de hoc suo Vitey satis innuunt, Noachum hoc nomine designari. Nam reperisse dicitur Vitey naves & ascias ad findenda ligna. Propone tibi Noachum arcam, quæ navis sane fuit, struentem & ligna exasciantem. Summus architectus fuit Vitey. Nescio quis architectura clarior Noacho fuerit, adeo

arca

arca illa omnibus suis partibus sibi exactissime constat, ut jam à Mathematicis prolixè ostensum.

Si igitur Vitey Sinensium, Noachus Hebræus est, quis miretur Chronologiam Sinensium, quæ à Vitey incipit, diluvium aliquot seculis superare? Et judicent modesta ingenia, an satis causæ sit, in gratiam Sinensium, quorum antiquitates monstrosis fabulis contaminatæ sunt, tantæ corruptionis reos peragere Codices Hebræorum, & præferre illam quæ LXX vocatur, versionem?

Præsertim cum aliâ ratione eaq; convenientissime consuli possit Chronologiæ Sinensi, si Vitey Noachus statuatur. Quod si neq hoc placeat, annon longe convenientius est Christiano nomini, erroris potius arguere Sinenses quam codices Hebræos? Nam non priora tantum illa ante Viteium fabulosa sunt, verum ipse quoq; Vitei cum successoribus longo ordine quantum admixtum habet vanitatis & ineptiarum? Quis igitur fidem faciet à Viteio incipere tempus Historicum? Mirus scilicet ille consensus omnium scriptorum Sinensium. At quis nostrũ in Europa omnes scriptores Sinenses vidit, legit, intellexit? Si Jesuitæ Codices aliquot Historicos viderunt & interpretati sunt, non tamen omnes. Ita dubium manet quando desinat

tempus ἄδηλον, & incipiat tempus Historicum apud Sinenses: & cum Yaros scriptores ante Confutium habuerint, qui Viteio multis seculis posterior est, quis illorum traditionibus fidem adhibeat, præsertim cum non tantum annos, verum menses quoque & dies antiquissimorum illorum Regum supputare soleant?

Liberum igitur sit vel Viteyum adscribere Regibus Sinensium fabulosis: vel Viteyum eundem cum Noacho statuere: ita sibi pulchre Chronologia Hebræa constabit, neque opus erit fidei Christianæ tam grave vulnus infligere, & nova arma profanis suppeditare ad illudendum Scripturis sacris, quæ hactenus in Ecclesia recepta fuerunt tanquam authenticæ.

Sinenses ex Annalibus suis primam literarum inventionem ad annum ferè trecentesimum post diluvium collocant: quarum primus autor Rex Fohi fuerit. Exempla characterum talium varia Kircherius in Oedipo suo proponit: unde patet characteres illos longe diversos fuisse ab illis quibus hodie in scribendo Sinenses utuntur. Neque extant libri in Bibliothecis eorum, characteribus Fohi conscripti, nisi forsan ad famam antiquitatis conficti ac suppositi: sed omnis authoritas libro-

brorum & antiquissimæ Historiæ dependet à Confutio. Is autem demum natus est circa A.M. 3453. id est 551. annis ante Christum, vixitque annis 70. Obiit ergo A.M. 3523. Ejus enim libri sunt Bibliothecarum Sinensium antiquissimi, & è quibus prope reliqui omnes prodierunt. Atque hinc corruit illa assertio: *Scriptores habent ipso Mose antiquiores.* Nam cum Confutius sit antiquissimus & is demum 551. annis ante Christum natum scripserit, contrarium apparet.

Utcunque igitur extet apud Sinenses Catalogus Regum, cujus initia superant æram diluvii Mosaicam secundum Codices Hebræorum: non tamen inde sequitur Catalogum illum esse exactæ veritatis, præsertim cum Confutius sit antiquissimus Scriptorum qui extant, cui æque facile fuit ac Manethoni, suis antiquitatis nomine imponere. Præterea Sinensis Monarchia qualis nunc est, non superat annos mille octingentos: nam ante illa tempora sub uno Imperatore plures erant reges, & regnum ipsum divisum in plura regna minora: Unde crebra bella civilia & motus, dum hic vel ille Monarchiam in alios assumit, teste eodem Trigautio. Hinc patet quam haud difficile fuerit Sinis, seriem Regum collateralem in longum extendere,

dere, ſicut etiam Manethonem feciſſe fatentur.

Et quod non tanta ſit antiquitas artium, prout vulgo jactant, hinc patet, quia Typographia apud eos vix ætatem quinque ſeculorum ſuperat, ante quæ tempora non niſi manu libros deſcribebant, quod quam & difficile & errori obnoxium ſit in illa characterum multitudine, quis non videt? Falſum quoque, *Seres ſpatium quater mille annorum abſque bellis in otio & voluptatibus tranſegiſſe, nullis finitimorum commerciis temeratos.* Aliud enim Annales ipſorum oſtendent ubi lucem aſpexerint. Trigautius teſtatur: *ab omni memoria civiles tumultus bellaque minime defuiſſe.* Et quid opus erat murum illum ingentem per quadringentas & quinque leucas intra ardua montium præcipitia ſtruere contra Tataros, ſi abſque bellis in otio tantum & voluptatibus per tot ſecula vivebant? Vel militum etiam in alta pace ſupra decies centena millia alere?

Cæterum unico illo Martinii loco qui jam ſupra allegatus fuit, omnia, quæ de Sinenſium antiquitatibus traduntur, convelli penitus poſſunt: ut nulla jam opus ſit Chronologiæ Hebræo-Moſaicæ annorum 1440. augmentatione. Is igitur Martinius in Novo Atlante Sinenſi hæc verba habet:

Uſque

Vsque ad annum ante Christum 2207. *Sinenses fatentur nihil certi se habere in Historia sua.* Christus autem natus est A. M. 4000.

Ergo si ab annis 4000. subducamus annos 2207. tempus Historicum apud Sinenses demum incidet in A. M. 1893. id est ducentesimum trigesimum septimum post diluvium Hebræorum; adeoque Sinensium Historia recentior est Chaldæorum & Ægyptiorum rebus. Ita igitur se habet Chronologia Sinensis certior.

A. M. 1893. ante Christum 2207. Imperator *Yvus* fundavit familiam *Hiaa* quæ duravit usque ad A.M.2334.ante Christum 1766.quo anno extincta familia Hiaa, regnare cœpit secunda familia dicta.

A. M. 2334.	*Xanga*	Ante Christum	1766.
A. M. 2878.	*Cheva*	Ante Christum	1122.
A. M. 3854.	*Cina*	Ante Christum	246.
A. M. 3894.	*Hana*	Ante Christum	206.
A. M. 4268.	*Cyna*	Post. N. Ch.	264.

Quo anno quinque Reges de regno certarunt dicti Utai, donec omnibus his extinctis A. Ch. 618. Sola regnavit familia.

A. M. 4622. *Tanga* Post Chr. 618. Paulo post iterum

iterum factiones Utai regnum distraxerunt. Donec succederet familia

A. M. 4927. *Sunga* post Chr. 923. Hæc regnavit usque ad A. Ch. 1278. quo anno Tatari Sinam expugnarunt.

A. M. 5282. *Iuena* familia Tatarorum post Ch. 1278. Hæc regnavit usque ad A. Ch. 1368. Successit familia Sinensis.

A. M. 5372. *Taiminga* post Chr. 1368. Quæ regnavit usque ad A. Ch. 1644. quo anno Tatari Sina potiti. Eorum familia.

A. M. 5648. *Taicinga.* post Chr. 1644.

Quod si accuratius primas gentium origines & migrationes consideremus, magna Ægyptios inter atque Sinenses, in literis, artibus, regimine, Religione, convenientia deprehendetur: ut non absurda vel improbanda eorum opinio sit, qui coloniam Ægyptiorum antiquissimam *Seres* statuunt. Probat operose Kircherius Chamum ex Ægypto in Persiam, inde in Bactrianam colonias duxisse. Ex Bactriana autem facilis ac brevis in Sinam transitus. Neque hæc recens sed vetusta opinio est, quam ex ore sacerdotum Thebanorum Germanicus Cæsar accepit: *Regem Rhamsen*

Libya,

Libya, Æthiopia, Medisque & Persis & Bactriano ac Scytha potitum. Scythis autem & Bactrianis contermini sunt Hippophagi sive Seres. De Sesostri Diodorus: *domuisse totam Asiam & extra Alexandri aras progressum, Gangem transivisse & Indiam ad Oceanum usque domuisse*. Idem alibi: *Osmanduam Regem Ægypti rebelles Bactrianos domuisse*. Et *Osiridem multas colonias in Indiam duxisse*. Strabo in universum: *Reges Ægypti Imperium usque in Scythiam, & Bactrianam & Indiam propagasse*. Quæ sane luculenta indicia sunt Sinenses ab Ægyptiis profectos. Id quod vel imprimis antiquissimi illi Sinensium characteres quorum inventor Rex Fohi fuisse dicitur, ostendunt, qui Ægyptiorum in omnibus æmuli sunt. Sinensium etiam Idololatriam eandem cum Ægyptia fuisse, ac communia eos sacra habuisse, idem Kircherius prolixè ostendit.

Obiter nunc addo recte nominari Sinenses quos alii Seras secundum antiquos vocant. Sinæ Ptolemæi positurâ quidem Siamensibus hodie respondent: sed sive illi iidem fuerint cum Seribus, sive diversi, nihilominus vel ipsi Seres Sinensium vocabulum sibi imposuerunt, vel ab aliis sibi impositum acceperunt. Cocincinenses & Sjami

H (à qui-

(à quibus Lusitani Chinæ nomen acceperunt) Cin appellant: ipsi Sinenses in congressibus suis Zin Zin ingeminant. Martinius testatur Sinarum nomen è regia familia Gin ortum. Unde patet nomen Sinensium non esse ab ea gente alienum. Quod si adeò displicet hoc nomen & Serum placet, cur non potius Hippophagi appellantur? Hæc enim est illa prisca Hippophagorum regio: quia Sinæ hodieque equinâ vescuntur ut nos bubulâ, nec canibus asinisve abstinent. Serum nomen à Serici usu fluxit, qui Sinis receptus annis ante Christum 2600. Martinio teste. Quod tamen fabulosum est, quia Annales Sinensium nihil certi habent ante annum M. 1893. ut paulo ante ostensum.

CAPUT XIII.

Probatur diluvio totum globum terrestrem fuisse submersum.

Unum tantum fuisse diluvium idque universale, cujus apud omnes penè gentes extat memoria, in confesso est. Itaque Phoronæi, Ogygis, Promethei, Dardani, Deucalionis, quæ temporibus & locis diversa statuunt Græci, d uvium unum idemque cum Noachico sunt. Unde quod supra

ſupra diximus, conſequitur, Græcorum Inachia, Pelaſgica, Attica, Sicyonia, vel complecti res ante diluvium geſtas ab Heroibus illis Moſaicis, vel fabuloſa eſſe. Idemque de Sinenſibus & Ægyptiis ſtatuendum.

Ita etiam univerſale diluvium fuiſſe ut omnes ſub cælo terræ mergerentur, Moſes dicit: *Operti ſunt omnes montes altiſſimi qui ſunt ſub VNIVERSO cælo. Quindecim cubitis ſurſum invaluerunt aquæ, poſtquam operti fuerunt montes illi. Expiravit itaque omnis caro quæ reptabat ſuper terram, volucrium pecudumque & beſtiarum & omnium reptilium quæ repunt ſuper terram, & omnis homo.* Et plura ſunt in textu: ita ut Spiritus Sanctus accurate innuere voluerit totum globum terreſtrem aquis fuiſſe ſubmerſum, nulla penitus terra, etiam ab hominibus inculta, excepta. Nam ſcopus Dei erat diluvio extinguere omne vivens animal extra aquas: id eſt aves, beſtias & homines. Et hoc Moſes tanto ſtudio inculcat, tandemque concludit: *Omne in cujus naribus halitus erat vitæ, ex univerſis quæ degunt in ſicco, mortuum eſt.*

Quanquam igitur genus humanum nondum implevisset omnes terras, ſaltem remotiſſimas illas oras; nihilominus nulla fuit regio quæ non

animalia habuerit, id est aves, reptilia, pecudes & belluas. Videmus enim hodieque terras reperiri cultoribus vacuas & fortasse ab omni ævo inaccessas, quæ tamen sua habent animalia. In nova Zemla sunt ursi & vulpes, nulli tamen homines, nisi forte advenæ.

Et quis dubitet quin ursi & vulpes, ex Armeniæ montibus, per spaciosos Sarmatiæ campos & vasta sylvarum, ad Oceanum glacialem pervenerint, præsertim cum piscibus victitent, & lucos consitos & specus roscidos & colles frigidos & fontes amœnos semper incubent, ut Apulejus loquitur. Atque hæc causa cur frequentissimi sint in arctois terris, rarissimi vel nulli in Africa & exustis regionibus. Ita Rangiferi nonnisi in Lappia & vicinis Oceano Tatarico oris, ac ne vivere quidem possunt alibi. Quia igitur omnia quæ nunc uspiam terrarum sunt animalia ordinarie & naturaliter nascentia (nam quædam, ut muli, contra naturam & arte producuntur ideoque non generant) etiam ante diluvium extiterunt, & non nisi beneficio arcæ Noachi conservata sunt: hinc manifestum evadit diluvium omnes penitus terras oppressisse. Sicuti enim Rangiferos sola Lappia & vicinæ polo regiones alunt: ita eorundem impatiens

patiens eſt Oriens, ac ne Gallia quidem fert: quē-admodum etiam frigidæ terræ aſinos, mulos, leones, elephantos, camelos, ſimias aliaque animalia calori aſſueta non tolerant. Unde conſequitur diluvium non in Meſopotamia tantum, verum etiam in Lapponia & Polaribus terris, ac proinde univerſale fuiſſe. Fuerunt igitur ante diluvium omnes omnino terræ, ſi non hominibus, at aliis animalibus frequentatæ. Ergo diluvium fuit univerſale, ac totus terræ globus ita aquis tectus ut nulla prorſus ejus extaret portio. Quia omne vivens extra aquas deletum. Viventia autem ubique erant.

At *deerant aquæ*. Aquas Moſes ſuppeditat, *diffiderunt ſe omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli ſe aperuerunt ut eſſet imber ſuper terram centum quinquaginta diebus*. Quis hic aquas defuiſſe dicat ad obruendum totum globum terræ, cum cataractæ cœli ſe aperuerint, & omnes fontes abyſſi? Et annon in prima creatione tota terra aquis quam altiſſime fuit obruta? quæ aquæ poſtea diviſæ in cœleſtes & terreſtres, ſuperiores & inferiores, in diluvio iterum, ſaltē ex parte, conjunctæ fuerunt, donec montes altiſſimos quindecim cubitis ſuperarent. Qui dicunt hoc eſſe *pie nugari*, viderint

quantum tribuant tam claræ narrationi Mosis & authoritati sacrarum literarum. Dicit Moses *omnes montes altissimos qui sunt sub universo cœlo* opertos aquis fuisse: ipsi vix, *Syriam ac Mesopotamiam forsan*, concedunt. Dicit Moses, *apertas fuisse catarrhactas cœli & fontes abyssi*, adeoque digito quasi monstrat loca, unde Deus aquas in terras effuderit: ipsi, *hoc fieri non potuisse sine concursu multorum miraculorum; debuisse vel plures aquas creari, vel dicendum istam aquarum molem ex aliis cœli orbibus decidisse, ac denuo, finito diluvio, ad sedes suas revolasse. Verum hoc esse pie nugari: Deum non facere miracula frustra.* Primo quis non agnoscat cui authoritas scripturæ sacra est, concursum multorum miraculorum in diluvio? Vel in sola arca, quanta miraculorum congeries? Animalium omnes species tam diversæ, moribus, victu, sponte arcam ingrediuntur, Noacho parent, odia deponunt. Annon ibi multa concurrunt miracula? quæ quia ab aliis copiosè enarrantur, ideo prætereo. Cur vero plures aquæ debuissent creari quam creatæ fuerunt initio, cum tota terra aquis submersa esset, & quæ postea in cœlestes & terrestres alveos, veluti thesauros quosdam congestæ sunt, unde iterum pro beneplacito Creatoris, vel ad pœnam vel ad præmium humani

mani generis effunderentur? An Deo aquæ defuerunt ad totam terram submergendam? Quis hoc dicat cui cœlorum amplitudo cognita? cui terrarũ profunditas perspecta? *Sed debuissent ex cœli orbibus decidere ac demùm finito diluvio ad sedes suas revolare*. Debuissent omnino: & hoc singulis diebus videmus accidere. Pluviæ ex cœli orbibus decidunt, ac denuo finitis pluviis, ad sedes suas revolãt. Non quod sint pennatæ, vel contra naturam corporum gravium, ita guttatim, prout deciderunt, in cælum revolent: sed in vapores, vi caloris resolutæ & in nubes condensatæ, prout vulgares Physicorum libelli docent. Et hoc non est *pie nugari*, sed rem per se satis claram, utcunque interpretari. *At Deus non facit miracula frustra.* Ita est: non tamen omnium miraculorum divinorum ratio nobis explorata est.

Legantur Cap. 38. 39. 40. 41. Jobi: quot ibi miracula divina, quorum quis rationem reddat? & tamen Deus illa non facit frustra. *Quid opus erat illas mergere terras, ubi nec olim fuere homines, neque nunc sunt?*

Quid ergo opus erat Mosen scribere submersos fuisse omnes altissimos montes sub universo cœlo? An existimabimus in montibus altissimis

Arme-

Armeniæ præſertim illo qui hodie Agri vocatur, homines habitaſſe? & tamen ſubmerſus fuit. Quid opus erit ad altitudinem quindecim cubitorū ſubmergere altiſſimos montes, cum vel nulli in illis habitarint homines (quidam enim plane ſunt inacceſſi ut ille Agri) vel ſi aliqui ingruente diluvio eò fugerunt, tribus vel quatuor cubitis ſatis profunde ſubmergi potuerint? Tamne parci aquæ ſumus ut metuamus Deo defuturas, ſiquidem terræ globum ita aquis tegere vellet, ut nulla prorſus ejus extaret portio? Textus Moſis facile quæſtioni huic ſatisfacit: *Cur opus fuerit illas mergere terras, ubi nec olim fuere homines nec nunc ſunt?* Quia nimirum dixit Jehova; *delebo hominem, quem creavi, de ſuperficie terræ; tum HOMINEM tum JUMENTA REPTILIAQUE & volucres cæli: nam pænitet me quod fecerim EA.* Hinc intelligimus ex ore ipſius Dei, cur opus fuerit illas mergere terras ubi nec olim fuerint homines *nec nunc ſunt*, ac fortaſſe nunquam futuri ſunt illi. Niſi forte jumenta quoque & reptilia & volucres cœli intra Syriam & Meſopotamiam includere & extra illas terras, quæ ab hominibus tum colebantur, nulla animalia ac ne volucres quidem fuiſſe, ſtatuamus.

Si igitur Moſen conſulamus, ſtatim deprehendemus

demus non propter ſolum hominem diluvio merſas terras, ſed ſtatuiſſe Deum cuncta in ſicco viventia una cum hominibus delere: Quapropter non tantum illas regiones merſit, quæ habitabantur, ſed omnem terram habitabilem; quia nulla remota vel inculta regio, quæ non viventia animalia, qualiacunque tandem, produceret. Omnia autem uſque ad reptilia & inſecta Deus diluvio perdere voluit. Neque eſt quod quis quærat, quid opus erat, cur Deus animalia cuncta extra aquas degentia diluvio ſubmerſit? quia nimirum *pœnituit Jehovam quod feciſſet ea*. Cur autem pœnituerit, neque cujuſquam eſt quærere, neque meum reſpondere.

Stultum eſt putare ante diluvium adeo multiplicatum genus humanum ut omnes terræ angulos pervaſerit. Neſcio quis hoc elogio tangatur. Non enim arbitror quenquam id aſſerere, cum ne in hanc quidem diem, per univerſum orbem propagati ſint homines, ac ne quidem omnes terræ habitabiles. Nam quot in Africa dantur ſolitudines, quæ integra regna æquant, & tamen nullos incolas patiuntur? ſic in Norwegia deſertum vaſtiſſimum & longiſſimum multorum dierum itinere, quod vulgo *Dorefield* appellant, omnis humani cul-

tus impatiens in tantam longitudinem & latitudinem exporrectum, ut majus vastiusque hoc, nullum Europa desertum habere perhibeatur. Quod si Deus Norwegiæ diluvium immitteret, an existimamus reliquam quidem Norwegiam, ubi humanæ sedes sunt, submersum iri, non tamen desertum illud? Hæc enim verba sunt: *Ut diluvii inundationem ultra orbis habitati terminos producamus, nulla jubet ratio, imo prorsus absurdum dicere, ubi nullæ hominum sedes, illic etiam viguisse effectus pœnæ solis hominibus inflictæ.* Si Mosen sequamur non dicendum pœnam diluvii solis hominibus inflictam. Manifeste enim contrarium tradit, & omnia simul extra aquas & arcam viventia exitio destinata asserit. Ergo nulla authoritate ad solos homines pœna restringitur.

Cum ne *centesimam quidem partem orbis universi* aquis submersam fuisse concedant, tamen diluvium haberi volunt, *universale, œcumenicum; quandoquidem clades fuit universalis & totum orbem habitatum oppressit*. Hæc non sufficiunt: textus Mosis plures causas suppeditat, cur universale diluvium fuerit. Primo: quia omnia viventia extra aquas & arcã mersa sunt. Deinde: quia omnes altissimi montes sub universo cœlo stagnati. Et si adeo abhorrent à mira-

miraculis multiplicandis, cum vix centesima pars terræ submersa fuerit; quid opus erat arcâ ad Noam cum familia & animalibus diluvio eripiendum? Nam cum in arca tot diversæ animalium species neque colligi neque contineri potuerint absque multis miraculis, annon facillimus modus erat, Noachum ex Syria & Mesopotamia, quas tantum submersas concedunt, in alias regiones, hactenus incultas, abducere, atque ita diluvio eripere, quemadmodum Lot incendio Sodomæ fuit ereptus, & Abraham ex Chaldæa in Chananæam evocatus? Hic sane facillimus modus erat, quo Noah hanc pœnam evadere, & se pariter atque animalia, liberare potuisset.

Præterea utcunque demus Noachum cum familia in arca potuisse servari; quid opus erat ex omnibus animalium speciebus, singula vel septena paria, intra arcam recondere, si vix centesima pars terræ submersa fuit? Non enim credibile videtur in illa tantum parte terræ quæ ab hominibus tum habitabatur, aves & illa animalia, cicura pariter atque fera fuisse, alibi nulla. Sic igitur vel Noachus cum animalibus absque arca, vel saltem animalia extra arcam, servari potuissent, ac multæ curiosæ quæstiones, de animalibus intra arcam servatis, cessarent.

CAPUT XIV.

Repetuntur summatim quæ pro antiqua Codd. Hebræorum, contra novam LXX. Chronologiam, dicta sunt. Epilogus.

Atque hæc de nova hac ex LXX. Samaritarum, Josephi, Chaldæorum, Ægyptiorum ac Sinensium Codicibus, contra fidem Hebræi, qui solus Mosis & authenticus est, textus, depromta temporum ratione, breviter dicta sint. Summa huc redit: nullam antiquissimis illis gentilium Genealogiis & Regum Catalogis tribuendam esse fidem, ubi contra Mosis Hebraicam authoritatem, sive in annorum nnmero, sive in rebus ipsis, aliquid statuunt. Ex solis Sacris Scripturis indubiam temporum seriem petendam. Illas Scripturas in sola Hebræa lingua incorruptas ad nos pervenisse. Versiones omnes ad harum Canonem examinandas. Imprimis vitiosissimam esse quæ vulgo LXX. Interpretum vocatur: cum non sit primæva illa quæ jussu Ptolemæi confecta dicitur (quanquam tota illa narratio Aristeæ de LXX. cellulis, miro consensu & exiguo tempore, jam dudum falsi convicta fuerit) sed nequidem illa qua Origenes usus & quam singulari studio ex

dio ex Hebræis fontibus correxit: verum corrupta quædam Rhapsodia & miris erroribus deformatum Chaos. Ad Chronologiam Hebræorum omnium gentium annos esse adaptandos: ita ut ubicunque diluvium, vel mundi creationem, superant, ibi error esse statuatur vel confusio rerum ac personarum ante diluvium, cum illis quæ post diluvium acciderunt. Ita Sinensium Annales si omnino à Vitey inchoandi sint, incident in tempora ante diluvium. Cæterum cum manifestum sit illos Annales communi profanæ antiquitatis vitio laborare, & multa absurda ac incredibilia complecti; præterea non nisi fide quorundam nitantur; hinc facile quivis videt, nullam justam vel sufficientem causam esse, propterea Hebræum Mosis Codicem tam contemtim rejiciendi & in ejus locum Lxx. versionem introducendi. Accedit & hoc, quod nondum constet an omnia Annalium Sinensium exemplaria in numeris & annis Regum conveniant? id quod haudquaquam probabile est, cum perpetua quasi discordia inter antiquos Chronologos reperiatur, & citius inter horologia, quam ipsos, conveniat. Nam si tanta inter Manethonem, Eratosthenem, Jul. Africannm, Josephum, Eusebium, in nominibus, annis

& ſerie antiquiſſimorum Regum, diſcrepantia eſt: quid ni idem de Sinenſibus Chronologis dici queat? Eſſent igitur ante excutiendæ omnes Serum Bibliothecæ, antiquiſſima inter ſe conferenda exemplaria, variæ lectiones annotandæ, Synchroniſmi & Anachroniſmi conferendi, quam certi quid de tanta regum per tot ſecula continuata ſerie ac ſucceſſione ſtatueretur, quam omni vitio carere impoſſibile eſt, cum id ne in recentioribus quidem Regum Hiſtoriis fieri poſſit. Cum vero nemo noſtrûm libros Sinenſium intelligat, neque uni in tam gravi cauſa fides adhiberi poſſit: hinc patet Chronologiam Sinenſium, tanquam nondum ſatis exploratam, & in multis adhuc vel dubiam, vel incognitam, non debere contra temporum rationem, quæ in Hebræis Codd. traditur, & per tot ſecula obtinuit, allegari. Multo minus deliria Præadamitæ tanti eſſe debent, ut cum ſua vanitate corruant & explodãtur, propterea 1440. anni ex corruptis quorundam lacunis, temporibus Moſaicis aſſuantur, præſertim cum tam paucis annis, tot myriades ſeculorum, quæ Sinenſes Cathæi, Iguri, Bramæ ac omnes fere Indorum populi, ut nihil de Chaldæis & Ægyptiis dicam, fingunt, haudquaquam expleri poſſint. Ita ut vel infini-

infinitas quædam temporum ſtatuenda ſit, ad ſatisfaciendum profanorum curioſitati: vel veſtigiis Moſis ac Hebræorum Codicum, firmiter inſiſtendum. Deus autem deſtruet ſuo tempore opera diaboli, ac eos qui vana perſuaſione antiquitatis excæcati ſunt, tandem luce verbi ſui illuminabit, ut videant quam turpiter hactenus errarint. Certum quippe eſt omnia illa temporum ſpatia, quibus Sacrarum Scripturarum fidem exſuperant gentiles, fraude Diaboli, per ſacerdotes ſuos ac Idolorum miniſtros, fuiſſe conficta, ut divini verbi authoritate elevata, ſuos impios errores in animis miſerorum hominum ſtabilirent. Firmum igitur, id quod demonſtravimus, maneat, ſolos Moſis numeros, ſecundum Codicum Hebræorum fidem, omnis Chronologiæ fundamentum ſolidum eſſe, & in quo animus Chriſtianus plene acquieſcere debeat. Hancque veterem eſſe illam & primævam Patriarcharũ Epocham: Novam autem illorum qui errores LXX. aliorumque, pro vero annorum calculo ignorantibus obtrudunt: Nec eſt quod ita portam improbis obſtrui poſſe ſperemus ad cavillandum ſcripturam. Quin potius nova illis porta, omnem penitus veritatem Scripturæ ſuſpectandi aperitur, dum rejecta

jecta authentia textus Hebræi, Græca versio, quæ communi omnium Religionum Europæ (si Russos excipias, qui tamen ob stupidam barbariem idonei judices non sunt, & Græcos Orientales, qui & ipsi omnem ferè humaniorem cultum inter Turcas amiserunt) consensu pro vitiosa & multis modis contaminata ac erronea habetur, fidei Christianæ norma imposterum & regula statuatur. Rejectis itaque annis illis 1440. præsens æræ mundanæ annus is est 5663.

Errata Typographica sic emendanda.

Pag. 5. *l.* 7. *pro ex l. est. p.* 16. *l.* 1. pro *certum, l. mirum, p.* 48. *l.* 16. *l. illæ p.* 52, *l,* 2. *pro Yaros l. raros.*

FINIS.